



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Evsebii Nierembergii Madritensis Ex Societate  
Iesv De Adoratione In Spiritu Et Veritate Libri Quatuor**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Antverpiæ, 1631**

Lib. IV. Quæ ad ardentissimum Dei amorem excitandum, & elevationem  
animi ad diuinam unionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46187)

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII

EX SOCIETATE IESV

D E

ADORATIONE

IN SPIRITV

E T

VERITATE

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

*Quàm ingrati simus Deo.*

QVAM infeliciter nostrum cor sollicitant beneficia tua, ô Felicitas Beatorum, vt commoueat nos ad benevolentiam paruula beneficentia etiam pessimorum hominum, imò ferarum, & non stupeamus & deficiamus amantes immensam beneficentiam naturæ tuæ beneficæ! Quomodo hoc fit; quòd si homo fecisset, putaremus ingens beneficiũ, & eo ipso quòd Deus fecerit incomparabiliter plus multo, nõ æstimamus bene-

benefecisse, nec gratos esse curamus? An naturam suam perdit aqua quòd in mari sit, non in exiguo poculo? an amittet naturam beneficij, quòd Deus sit auctor, cuius natura est benefacere? Potius credendum est, aquam esse quod hauritur è pelago. Calòrne, propterea quòd sit in igne, putandus est non calefacere; sed solùm ille quòd sit in alienâ & violentâ materiâ? efficacior est ardor ignis, & magis fouet quàm calor ligni: sic munera Dei beneficentiora sunt, quàm hominum, quia Dei sunt. Bonitatis natura est benefacere, sicut ignis calefacere. In hominibus languidior est beneficentia, quia ab eorum naturâ aliena, sicut & eorum propria solùm est indigentia. Purior est aqua in fonte, quàm in riuis: puriora sunt beneficia Dei, quàm hominum, qui plerumque corrumpunt naturam beneficij. Cur igitur munera amittent priuilegium & reuerentiam suam, quòd fiant à Deo; quæ si facta essent ab vili quolibet homine multò minora, nisi grati essemus, non auderemus securâ fronte esse coram hominibus, sed erubesceremus confusi, vt adhuc nostrimet nos puderet, nobisq̃ videremur esse sine honore infames; & tamen quia sunt facta à Deo, impunè sumus ingrati, atque coram Deo & Angelis audemus sine pudore comparere. Cur dona, quia à Deo veniant,

Z

infe-

infeliciora sint & deterioris conditionis, cum ea solum seruent omnes conditiones benefaciendi, & felicissimè nobis subueniant? Estne ista beneficij infelicitas, factum fuisse à felicitate summâ?

Cur non amamus te Domine, qui creasti penitus nos; & grato animo sumus erga latrones, quia non penitus spoliarunt nos, & erga canes adhuc, quia custodiunt nostra? eum, qui in necessitate aliquâ subuenit, amamus; & non liquefimus præ amore tui, qui dedisti essentiam & vitam creando nos, cum nihil fuimus. Quæ maior necessitas & penuria, quàm cum nihil habebamus, imò nihil eramus? Si Deus tunc subuenit nobis, donando vitam & esse; cur non meminimus tantæ eleëmofynæ, cum gratificemur ei, qui exiguum subsidium vitæ præstitit? Anne maior misericordia censebitur opitulari quo viuamus, quàm dare ipsum viuere? Eò maiora censebuntur beneficia, quò opportunius conferuntur pro indigentia maiori, & quæ vltro dantur sine postulationis aut desiderij pretio. Quæ maior indigentia, quàm nihili, quæ summa egestas est? Summum igitur beneficium Deus fecit, summo amore dignum, qui occurrit tantæ egentiæ: summum beneficium est quod tam vltro concessit, cum ex nobis nihilum præcessit. Quantò quis magis eget,

eget, etiam si parum donetur, pluris aestimatur, quàm cum plus donatur minùs indigenti: tu Domine, cum summè egebamus in nihilo, non parum dedisti, sed totum ipsum quod sumus.

Ad calculos veniant omnia hominum beneficia; & quia longum esset recensere singula, consideremus illud, quod omnium gentium iudicio maximum celebratur, & ultra omnem gratiam esse, atque conferamus cum minimo beneficio diuino creationis. Clamat & docet natura, nullam gratiam parem reddi posse parentibus: at hi quid dederunt? foetidum corpus, obnoxium peccato, morbis, & omnibus miseriis vitæ huius, ut iam quodammodò melius se gerant parentes erga vermes foetidos, quàm erga filios: nam illos creant non contaminatos culpâ, nec obnoxios iræ diuinæ; filios verò gignunt maledictos, iam peccatores, dignos morte & carcere. Quomodo, Domine, immemores tui sumus, & erga te impudentes, cum totum nostrum esse dedisti, corpus in principio idoneum, purum, & innumeris dotibus decorum, animam excellentissimæ naturæ, puram, spiritualem? Parentum beneficium non magni illis stetit; nam de superfluis sibi tantùm impertierunt nobis non totum corpus, sed particulam spurcissimi stercoris, &

356 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
faniem : tu Domine totos nos dedisti, totum  
corpus, totam animam puram : quod bene-  
ficium non minori tibi stetit quàm omni-  
potentiæ tuæ viribus. Illud adhuc quod à paren-  
tibus habemus, id nobis non dederunt, sed tu  
per illos : illi solùm de se dederunt obligatio-  
nem culpæ & auspiciam miseriarum. Quod  
parentes dederunt, non fuit propter purum  
amorem nostri, sed propter turpem volupta-  
tem suam : tu Domine raptus amore nostri,  
nos creasti. Parentes fortasse inuiti nos pro-  
duxerunt, qui sæpè nolunt generare : non  
fuit officium amoris ipsorum, vt nos gigne-  
rent, & non alios, quia nec in potestate nec  
in electione eorum fuit : tuus Domine amor  
me creauit, & non alios ; electio tua fuit : tu  
Domine conspiciens innumeros homines  
quos creare posses, & tibi meliùs seruirent,  
me miserum nullis meis meritis elegisti ; nec  
impediuit amorem tuum, præuidisse me  
peccaturum aduersus te plusquam omnes, &  
futurum omnium peccatorum scelestissi-  
mum & maximum, & magis ingratum,  
quàm Lucifer primogenitus peccati, & Iu-  
das venditor Filij tui, & Antichristus eius ad-  
uersarius.

En Domine, in vno beneficio tuo non tan-  
tùm me totum debeo semel, sed multiplici-  
ter me debeo : quomodo alia soluam ? Me  
totum

totum debeo tibi , quia me dedisti totum :  
 me totum debeo , quia in me impendisti  
 tuam omnipotentiam : me totum debeo,  
 quia non dedisti inuitè : me totum debeo,  
 quia dedisti vltro : me totum debeo, quia de-  
 didisti amando : me totum debeo , quia de-  
 didisti eligendo me inter infinitos : me totum  
 debeo , quia dedisti præuidendo me ingratif-  
 simum super omnes peccatores. O Domine,  
 cui toties totum me debeo ob vnicum bene-  
 ficium , præsta vt saltem partem meam tibi  
 semel reddam ob infinita beneficia : præsta,  
 vt cor meum tibi offeram : cumque non se-  
 mel hoc beneficium vnicum & multiplex fe-  
 ceris , sed continues semper , & augeas quoti-  
 die conseruando , totum me quotidie infini-  
 ties debeo : infinities cor meum accipe , non  
 propter bonum quod in me efficit benefi-  
 cium tuum , sed propter bonum quod in te  
 efficit vt facias beneficium mihi , & colligo ex  
 beneficio tuo. Si igitur tantum est minimum  
 hoc beneficium tuum , vt toties propter illud  
 me debeam ; quid propter redemptionem,  
 quæ tantò excedit creationem , quantò Deus  
 excedit hominem ? In creatione me dedisti  
 mihi , in redemptione te dedisti , & me resti-  
 tuisti.

## CAPVT II.

*Quòd sint sine numero beneficia Dei.*

**B**enedic adhuc anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, siue in inimicos tuos, siue in amicos; siue in Angelos, siue in pecora campi; siue in Beatos remunerando, siue in dæmones puniendo; omnes retributiones Domini, propria tua beneficia sunt. O Deus, quàm immerfusus beneficentiâ tuâ! Quidquid agis, beneficium est, & illud meum beneficium est. Quod agit lumen, lumen est; & lumen quod vnus causâ accenditur, non solum illum, sed omnes illuminat astantes: sic tu, ô lumen Veritatis, ô natura bonitatis; & ideò benefica, nihil potes agere, quod non sit beneficium; & beneficium quod vni confers, non solum illi, sed omnibus conferre est necesse. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum; quia velut lumina, tua dona diffundis; quia sine diminutione tui communicaris omnibus, & pro omnibus. Lumen integrum distribuit cunctis lucem: sine facis iacturâ accendi potest alia. Quidquid iaculatur sol, lux est; omnes per illam videre possunt, nisi claudant oculos. Quidquid efficit



efficit Deus, beneficium est, per illud omnes sibi prodesse & iuuare possunt, nisi sint insipientes & maligni. Semper munera tua, Domine, comitatur ardens amor tuus, sicut lucem calor: hoc est immensum pretium tuorum donorum, quod sint obsides & pignora amoris tui: licet lateat visum, patet tamen in effectu benefico. Nam lucem etiam, quam spargit sol, quamuis solum videamus, & non calorem; semper tamen calor cum luce est.

O Pater luminum, quantas tibi gratias agere debeo pro vniuersis vniuersorum beneficiis, testibus amoris tui, quem præcipue exosculor & adoro in operibus tuis! Quis non stupeat ingenium tuæ bonitatis, vt omnium sit vnum beneficium, & vnius sint omnia beneficia; vt priuata sint communia, & communia priuata? Omnia naturæ opera, omnia mirabilia gratiæ, omnes præsciti, omnes beati, beneficia mea sunt. Omnes prosperitates, omnes calamitates hominum, munera tua sunt, quibus me donas & amas. O homo ingratus, nonne diligeres Deum toto impetu cordis, si te reum inferni, mortuum in peccato graui, non damnaret; sed alium hominem meliorem te crearet, & loco tui sufficeret, vt pœnas inferorum pateretur pro te? Plus fecit Deus: taceo quod ipse in se culpas  
 Z 4 nostras

360 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
nostras suscepit, moriens pro nobis; illud  
nunc stupeo, licet minus sit sine comparatio-  
ne, quod plures voluerit damnare & non mi-  
fereri, ut te saluaret: nam si pauciores dam-  
nari videres, minus timeres, & fortasse dam-  
nareris: si vnus aut alter solum damnaretur,  
nihil ferè tu timeres; & quod certius de te po-  
tes præsumere, tu damnareris: si nullus dam-  
naretur, nihil timeres; & potes putare quod  
tu solus damnareris, aut, quod peius esset,  
multò plus peccares, & nihil Deum vereris.  
Igitur cruciatus & infernus tot hominum,  
beneficiū meum est. O lumen cordis, quan-  
tus lucet amor electorum tuorum? Anima-  
lia fecisti propter homines, & homines dam-  
nas propter alios homines, quos ad salutem  
elegisti. Angeli seruiunt hominibus, imò tu  
ipse factus homo: quid mirum, si velis etiam  
ut homo seruiat homini? Si ad commodita-  
tem vitæ temporalis permittis, ut homo ser-  
uiat homini, mancipium hero: ad consecu-  
tionem vitæ æternæ, & augmentum gloriæ,  
præscitum oportet seruire electo. Ecce spiri-  
tus ingratus, si tantum malum pœnæ in aliis,  
bonum tuum est; bona quoque aliena, bene-  
ficia tua etiam erunt.

Tali arte architectatur Deus opera sua, ut  
singula sint vniuersorum bona; & ipsa pœna  
damnatorum tam bona cunctis est, ut ipsis  
damnatis

damnatis bona fit : nam cum illâ non habent malitiam suam meram , sed sentiunt iustitiam diuinam , quæ optima est. Tam beneficus Deus est , vt ipsa damna vertat in beneficia ; & quod plus est , ex ipsis malis culpæ , quæ sola mala est , extorqueat bona , & interdum maiora bona. Tam potenter , ô Domine , mihi facis beneficia , vt ex peccatis , vbi non potes , nec facis , (nam non potes facere illa , nec iuuare vt fiant) maiora beneficia inde facis & potes. Ex peccatis calles bona immensa elicere , & virtutes. Lumen in corpus obscurum & densum impingens , in quod nequit agere , ibi reflexione augetur duplicatum , non deperditur lumen ; nec vñquam deperditur , & vacat beneficentia tua. Ex peccato , vbi nihil est benefactum , maius meum beneficium effecisti , incarnationem Filij tui decernens. Tam ex peccatis meis quàm ex alienis scis Domine peritè benefacere mihi : quando audio scelus ab aliquo patratum , doleo fratris malum ; sed inde tibi gratias ago , quia spero maiorem misericordiam tuam , aut illi , aut mihi. Gratias tibi ago , quia inde præparabis magnum beneficium mihi , nisi ego fiam cæcus nolens lumen videre.

Benedic iterùm anima mea Patri luminum , & noli obliuisci omnes retributiones eius : nam omnes sunt illius munera ; etiam

Z s illa

362 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
illa beneficia, quæ ab hominibus tibi videntur venire, & accipis ab illis: nam si mala & dura, quæ tibi infligunt homines, debes putare venire à Deo; cur bona non putabis ab illo venire, cuius natura bonitatis est, & ad benefaciendum prona? Omne lumen cæli, licet iaculetur illud stella paruula, & luna cum noctu illuminat, quamuis sol non videatur, lumen solis est: sic quodlibet bonum, & beneficium etiam factum ab homine, bonum illud à Deo est, & beneficiû illud fulgur bonitatis eius. Hoc vnicum est solatium humanæ vitæ inter tot misérias, quòd nihil possit fieri nisi à Deo; & quidquid facit Deus aut permittit, non potest non esse beneficium iuxta naturam bonitatis: & quodcumque beneficium fit, id à Deo fit; & quidquid à Deo fit, illud est beneficium meum factum mihi. Dolores corporis, & miseriæ vitæ, cum patior ego aut alius, fames communis, morbi, pestes, omnia sunt mea beneficia, ô Domine, qui propter bonum meum affligis alios. O Deus, quantum tibi debeo, qui ut ego pauperculus acciperem sanctam aliquam inspirationem, non dubitas ipsos Reges & mundi Monarchas occidere; nec attendis tot Regnorum lacrymas & calamitates, ut ego inde aliquid addiscam. Pluris æstimas quòd sanctum quid rusticus contritus cogitet,

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. IV. 363  
tet, & sapiat, quàm vitam & capita Regum  
aliquorum coronata, ac populos interdum  
integros. Da Domine, vt pro omnibus tibi  
gratus sim, & amem pro me, & pro aliis, in  
omnibus operibus tuis, vt tu in omnibus be-  
neficiis tuis me amas.

### CAPVT III.

*Dei amor patet infinitus in redemptione.*

**O** Amor infinite, quomodo exhauriris in  
benemerendo de me, cùm nec tibi, ô  
Deus omnipotens, restet potentia quâ maio-  
ra opera pro me posses facere, nec sapientia  
fit reliqua quâ posses excogitare, nec volun-  
tas possibilis quâ posses optare! Nullum  
enim præstantius remedium nostri generis  
excogitari aut esse potuit, quàm incarnatio  
Filij Dei, quod fuit infinita misericordia. O  
immensa beneficentia & amoris excessus, cui  
cessit omnipotentia diuina! vicisti Dei artes,  
& vota illa sacrosancta & infinita quasi limi-  
tasti; quomodo non vincis infirmitatem  
meam, suspendis cogitationes meas, & limi-  
tas desideria mea, vt nihil coner, cogitem,  
velim, nisi te? Filij, quos enutristi Domine  
per creationem, te spreuimus: quomodo,  
quos insuper honorasti, & exaltasti vsque ad  
consortium tuæ Maiestatis, te spernere pos-  
sumus,

sumus,

sumus, & non amare; qui nos amando, spreuisti te vsque ad consortium vilitatis nostræ? O Domine, quantum solatium habeo in hoc redemptionis beneficio, cùm te video afflictum & nostræ miseræ socium, & amatorem! nōne alio modo redimere non posses, quamuis minore iustitiæ rigore? nōne poteris creare excellentissimum Angelum, excellenti gratiâ præditum, qui pateretur saltem inferni dolores? nōne poteris ipse, seruato stricto iustitiæ tuæ iure, sine tot cruciatibus? At vt totum nostrum occupares amorem, id fecisti. Fortasse, si noster Redemptor non fuisset, qui Creator noster; sed alius Redemptor, alius Creator esset; plus amarem Redemptorem nostrum quàm Creatorem: propterea tu qui noster Creator es, voluisti Redemptor noster esse & Saluator, & totum nostrum amorem in tuo corpore pati; atque vt euidenter pateret tuus amor, non sufficientiam redemptionis & æqualitatem attendisti, sed refusè & exundanter, vt in eo videremus amorem, qui modum nescit.

Qui omnia fecisti in numero, pondere, & mensurâ; cur tu auctor naturæ, in quâ nihil superfluum & superabundans fecisti, in redemptione quasi turbasti omnia? Extra te & morem tuum abstractus, nullum numerum obseruasti cruciatuum, nullum pondus pretiosi

tiosi Sanguinis tui attendisti, nullam mensuram satisfactionis necessariæ, sed superfluenta Cruore tuo superabundanter redemisti, sine mensurâ omnia faciens. Certè quia arbitri tantis operis immensus erat amor, & in hoc opere voluisti velut visibilem amorem tuum facere, cum nos increduli non crederemus ex aliis operibus & beneficiis. Sed iam quoniam hoc voluisti, non es alius atque antea eras: ordinem seruas in omnibus operibus tuis; mensuram quoque hinc seruasti, sed in eo quod fecisti omnia sine mensurâ, quia amor tuus sine mensurâ est, nec aliter adæquatio esset. Sic video hinc infinitatem tuam, cum sine modo & proportione te hinc geras. Hoc beneficium euincit meum amorem, quia conuincit te amantem esse: ex ceteris beneficiis conicio te amare, in hoc video. Cetera beneficia non obstant, quin aliquis putet sine minimo adhuc amore facta; de hoc nemo potest suspicari, nisi cum amore immenso effectum. Cetera etiam si fierent non amando, indemnis Maiestas esset tua, & saluum decus diuinum: istud non censetur consentaneum, seruatâ auctoritate diuinitatis factum sine amore fuisse. Cetera facta absque dilectione, digna etiam essent laude & reuerentiâ: at istud, si non fuisset amoris causa, indecorum videretur, non dicam  
Deo,

Deo, sed homini, dignum vituperio & contemptu. At quia impossibile est, te facere indignum aliquid, evidentissimè me cognosco amari. Regium esset, etiam eos qui non amarentur alere, seruare, locupletare, & quiduis benefacere; dignum esset id Maiestate supremâ: at si Rex summus se ad vilia deiiceret, cum laxis, coquis, & seruis stabulariis conuersaretur, conuesceretur eodem habitu indutus; quis non contemneret, & insanire putaret? solùm illum excusaret vulnus amoris, si corde percussus ad tempus id fecisset, vt artificio illo amatæ personæ amorem conciliaret, aut aliquid isto stratagemate in obsequium dilectionis tentasset. Hoc priuilegium amor habet, quod ipsi Philosophi fatentur, vt infamiam numquam contrahat, & omnem notam aboleat eorum, quæ si facta sine amore essent, turpia & indecentia putarentur; amor tamen vertit in merita, & infamiam transformat in gloriam. Nihil Domine indecorum tuæ Diuinitati facere potes: quare omnia fecisti me amando, cum exinanitus auctoritate tuâ ad vilissimæ creaturæ consortium te demisisti.

Hoc evidentissimum pignus amoris diuini serua anima in corde tuo, humilitatem diuinam; quæ summa gloria est ex prærogatiuâ amoris. Amor excusat Maiestatem Dei, amor exultat



exaltat humilitatem Dei. Amor hic extorquet amorem meum : ignis ignem accendit, amor amorem suscitatur : amor tuus, ô Domine, me accendat ad amandum te, ignem venisti mittere : sed numquid Domine non poteris absque adventu tuo & incarnatione mittere ? quid opus erat, ut fieres homo, ut accenderes homines ? an quia ignis nõ efficit nisi in coniunctam materiam ? Ignis enim in suæ naturæ puritate, & spherâ circa cælum dicitur non urere, nec ullam materiam solidam accendere ; necesse est, ut in alienâ materiâ sit, & fiat visibilis : sic tu Domine in sinceritate purissimæ tuæ naturæ tametsi amor es, & ignis comburens, non ita accendebas homines, nisi factus homo ; ut ignis cæli non accendat lignum, nisi cum ignis factus est in ligno, aut aliâ crassiori materiâ quàm ætheris : alia ligna tunc accendat conspicua iam & visibilis flamma. Tuus amor visibilis, cum factus es homo, non potest non accendere, & urere homines.

Magnum beneficium creditur, quod prævenit preces, cum absque illarum pretio indulgeatur : maius si careat spe ; placidius enim insperata bona accidunt : maximum, si præoccupet vota : nihil enim gratius & magis ultrò, quàm quod sine impendio desiderij datur ; iam quale erit quod prævertit opinionem?

nem?

368 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
nem? quale erit, de quo opinio diffideret?  
Tale hoc tuum beneficium, & inopinabile  
Sacramentum redemptionis; quam si quis  
postularet, antequam manifestaretur homi-  
nibus hoc modo quo facta est, preces blas-  
phemiae crederentur, spes insana temeritas,  
votum sacrilega voluntas, opinio impietas.  
Donum inopinatum gratissimum est: quan-  
tum erit, quod est inopinabile? concessit be-  
neficientia tua, quod opinio indigentis ne-  
garet.

Sed supra omnia me mouet in hoc benefi-  
cio frons & titulus amoris, qui est munerum  
valor & pretium: omnia dona testimonia &  
auctoramenta amoris sunt. Quid magis fide  
dignum quam hoc? non ex quantitate, sed ex  
argumento dilectionis capiunt quantitatem  
munera. Immensa hæc gratia, quæ ut sit be-  
neficium & non dedecus, in fronte gestat a-  
morem Dei immensum. O Domine, si tibi  
debeo me totum propter creationem; quan-  
tum debeo huic amoris tuo? Fateor debere  
plusquam me ipsum; quantum me maior tu es,  
qui pro me dedisti teipsum, & toties dedisti  
nascendo, viuendo, moriendo, resurgendo,  
& per sanctissimum tuum Corpus alendo.  
Fac, ut totum quod tuum fuit creatione, &  
restauras redemptione, faciam ego totum  
tuum amore. Pro minimo beneficio tuo, si  
per

per totam æternitatem, vt referrem gratias, paterer vniuersos inferni cruciatus, nihil satisfacerem; quia ab amore tuo infinito procedit, omnem infinitatem creatæ retributionis excedenti infinitè: quid faciam pro tot & tantis, & præcipuè pro isto, in quo obiicis mihi luce clariùs amorem tuum infinitum?

## CAPVT IV.

*Quàm meritò sit amandus Deus,  
præcipuè propter se.*

**D**Inumerabo iura quibus amorem meum iustissimè exigis, & iniustitias teporis & ingratitude meæ. Te, amabilissime Domine, debeo ardentissimè amare, & quia bonus es, & quia amans es; & quia benefactor es, & quia benefactor meus es; & quia factor es, & quia tolerator mei patientissimus es.

Tam bonus & pulcher Deus in se est, vt licet non amasset nos, nec benefecisset, nec fecisset, amandus esset supra omnes amatores, benefactores, & conditores nostros: imò etiam si odisset nos, & malefecisset; expiaret enim, illa infinita bonitas & venustas omnem iniuriam, multò magis quàm expiat eius beneficentia. Nónne si Deus antea odisset te, & infensus in te peccasset, & nocuisset, ignosceres & amares, propter satisfactionem

Aa

quam

370 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
quam fecit, tot beneficiis, ut nec Filio suo parceret, sed pro te traderet morti, orbitatem, quæ maximus dolorum est, hauriens: Facienti beneficiû dimittere iniuriam & ignoscere oportet; nam beneficij vis debet extinguere vindictam & iram: at cum tot Dei merita antecedant, plusquam veniam mereretur. Si ergo beneficentia Dei sufficeret, ut purgaret omnem iniuriam; multò magis causa beneficentiæ bonitas ipsa, quæ nobilior est & satis efficax, ut commendet omnia damna illata & iniurias à Deo. Plus est bonitas Dei quàm beneficentia, quia hæc ab illâ procedit, & à causâ potiùs degenerant effectus. Quidam dixit de malemerenti homine: Nihil boni à te accepi, sed plura à te mala; tamen non possum non te diligere. O Bonitas vera, potiùs de te quàm de simulacro tuo luteo dicam: Non possum non te diligere, etsi nihil boni à te accepissem, imò etsi multa mala sustinuissem: quid dicam modò, cum sine modo me ames, & sine numero benefeceris?

Amamus aliquando viros, quos nunquam vidimus, nec audiimus, nec illi cognoscunt nos nec amant, sed ex solâ famâ probitatis diligimus; cum quibus esse & conuersari gauderemus, eorum conspectu latureremur, & commemoratos reueremur: ànne  
Dei

Dei bonitas indigna est, quibus digna habe-  
 tur humana? Tanta potuit probitas homi-  
 num esse, vt per se ametur sine obligatione  
 pietatis; quia non sunt parentes, sine obliga-  
 tione gratiæ, quia non sunt benefactores, &  
 sine obligatione amoris, quia non dilexerunt  
 nos; & non erit auctoritas diuinæ bonitatis  
 sufficiens per se amori? Quis non mouetur  
 beneuolentiâ aliquâ erga Ionatham, ob fi-  
 delitatem amicitiæ, absque æmulatione pa-  
 terni Regni? aut non afficiatur erga Dau-  
 dem, ob benignitatem eius, qui absque inui-  
 diâ imperij pepercit vitæ inimici Saulis? &  
 quis non inclinet cor erga Iudam Macha-  
 bæum, ob amorem patriæ & legis? cum nec  
 cognatio horum, nec fauor voluntatem sol-  
 licitet, sed sola virtus. Sûntne fortasse virtu-  
 tes diuinæ impuriore, aut degeneres? Com-  
 pone hominem ex maximorum virorum do-  
 tibus, totum ex miraculis compactum, qui  
 haberet Sapientiam Salomonis, fortitudi-  
 nem Samsonis, pulchritudinem Absalonis,  
 fidem Ionathæ, mansuetudinem Dauidis,  
 fortunam Iosue, & erga suos amorem Moy-  
 sis, quis non cuperet illius amicus esse, aut lo-  
 qui semel; aut saltem videre? quàm contem-  
 nendi gustus esset & ab omnibus damnan-  
 dus, cui non placeret eius hominis familiari-  
 tas etiam absque spe lucri? O immense Deus,

tu es manipulus omnium bonorum, & totius bonitatis fasciculus; quomodo te non amamus, nec desideramus familiaritatem tuam? O Domine, qui ob solam bonitatem tuam non te diligit, quàm malè gustat, quàm vilis est, quàm insipiens? qui illam solam non satis miratur, quàm ridiculus est? fingamus creatos nos sponte nostrâ fuisse, & audisse de quodam Deo in alio mundo ea quæ de nostro Deo credimus; quis non cuperet habere talem Deum, & miraretur, atque amaret bonitatem & facta illius erga homines illius sui mundi, quibus meritò inuideremus? Non igitur propterea quòd nos creauerit, minuta est bonitas eius, nec debet diminui admiratio, & erga illum amor.

Maximus quoque titulus, vt amemus Deum, est esse amantem. Nullum pharmacum est efficacius amoris quàm amor: in viros improbos inclinamus affectum, eo tantum nomine quòd ab his videamur diligi; & à canibus amari gaudemus: licet Deus non bonus esset, nec benefactor, nec factor nostri; quia amat, amandus esset, maximè quia tam ardentè amat. Cuius amoris magnitudo ex doni magnitudine colligitur: qualis amor, per quem sic dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret? O homines, quid miramini, nisi stupefcitis hoc, quòd  
Deus

Deus vilissimam creaturam, tam tenero corde & affectuose amet?

Sed demus etiam, quod Deus non amasset nos, nec fecisset, nec benefecisset nobis; saltem quia aliis benefecit, deberemus amare. Si facta iusta hominum etiam apud extraneos & barbaros merentur laudem, & extorquent benevolentiam; an tot Dei benefacta minus merebuntur, quia maiora, quia immensa, quia plura sunt? Probus & beneficus à quouis amatur, etiam non experto liberalitatem eius: sed etsi Deus nullum erga alios egregium opus fecisset, quia in nos tot beneficia contulit, etiamsi id non fecisset amando (quod nequit fieri sine aliquo amore) deberemus amare. Imò quantumvis non bonus, nec amans, nec benefactor nostri aut aliorum esset (quod impossibile est,) eo dumtaxat quia fecit nos, venerandus & diligendus esset. Parentes etsi improbi, etsi non nutriissent nos, colendi & amandi sunt: pro Rege legitimo, etiamsi iniustus & scelestus sit, milites fundunt sanguinem: Deus Pater rerum est, & legitimum mundi caput.

Neque levis sagitta amoris est patientia Dei, quâ nos in ipsum impudentissime delinquentes tolerat & ignoscit. Iram inimici vertit in benevolentiam patientia eius qui peccavit & nocuit, dum sustineat animad-

374 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
uersionem, aut paratus sit ab inimico ultio-  
nem & pœnas iniuriæ admittere, siue reum  
se fateatur: quomodo patientia iniquè offen-  
dentis extorquet beneuolentiam irascentis  
iustè, & non patientia offensi & iraturi iustè  
impetrabit amorem offendentis iniquè? O  
Domine, quanto iure amorem meum flagi-  
tant mea ingratitude & tua uenia! sed hîc  
minor titulus accedat, patrem meum esse;  
accedat, benefactorem esse meum; accedat,  
beneficum in omnes esse: quantum te de-  
beo amare ob tot innumera & immensa de  
me merita & facta?

Sed adhuc non maiores hi tituli, licet sin-  
guli, exactores seueri sint mei amoris: multo  
magis te debeo amare ob solam beneuolen-  
tiam tuam, quâ me amas, quàm ob benefi-  
cia tua tot & tanta: nam illa est horum causa,  
ideò æstimabilior: & restat amor tibi, ut si  
opus esset, duplicares beneficia, & sine nu-  
mero multiplicares, si ad meam salutem non  
sufficerent quæ redundant modò. Amor tuus  
non tâtùm equiualeat beneficiis factis, sed pos-  
sibilibus, si alia possibilis maiora essent; & in  
se claudit omnia illa; imò, si dici fas est, be-  
neficia impossibilia: nec enim terminos suos  
stringit facultate uerus amor, sed confictis  
votis: quæ quamuis in Deo non sint ob per-  
fectionem & omnipotentiam suæ naturæ,  
non



non est proinde diminutus excessus sui amoris; sed æquè debemus illi, ac si essent. Maior itaque titulus vnus amoris est amor Dei, quàm innumera sua beneficentia: continet enim ille beneficia omnia & facta, & possibilia, & impossibilia, si aliqua Deo essent.

Adhuc tamen alia est causa maior amandi Deum: nam si ob amorem Dei plus debemus illum amare quàm ob beneficia, quia hæc sunt effectus illius, & scintillæ magni incendij diuinæ charitatis; multò magis debemus amare ob bonitatem eius, quia hæc est causa amoris. Quanta bonitas est, tam immensi amoris mater, & stirps tot beneficiorum! imò Bonitati diuinæ debemus non tantùm amorem incredibilem, nisi solùm fide, quo nunc nos amat; sed etiam amorem maiorem, quantum ad nos, quo nos amaret, si nos meliores fuissetus, & minùs ingrati, atque capaciores proinde maioris dilectionis. Non tantùm debetur bonitati Dei vnus infinitus amor Dei, sed quasi infiniti amores infiniti Dei. Quare quia bonus est in se Deus, plus debemus amare quàm quia nos amat & benefacit. O Domine, amo te ob tua beneficia, quia in eis video, exosculor, & amplector amorem tuum: & ob amorem tuum te amo, quia in illo intueor, adoro, & diligo bonitatem tuam. Amor Dei, vna perfectio Dei

376 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
est: restant aliæ, ob quas amabilis est, quas  
omnes continet bonitas & perfectio diuina  
infinita, infinitis titulis amabilis. Nescio, Do-  
mine, quomodo intermitteri & desinere po-  
test amor tui in corde meo, cum tu infinitus  
ab æterno ita nos incessanter amaueris solâ  
bonitate tuâ.

### CAPVT V.

*Quomodo bonitati Dei non possimus  
satisfacere.*

**Q**uantum deficio, Domine, considerans  
bonitatem tuam, quæ nec potest scribi,  
nec dici, nec cogitari? Si omnes spiritus cæli  
& inferni, & animæ creatæ & creandæ, de  
eâ scribere vellent, & si singulis atramentum  
esset mare, atque membrana cælum, ante-  
quàm minimam eius partem commemorarent,  
maria exsiccarentur, & cæli nec vnum  
apicem amplius accipere possent. Si cunctæ  
stellæ & imbrium guttæ forent linguæ, ante-  
quam aliquid congruum de eâ dicerent, de-  
stituerentur spiritu, & obmutescerent: si om-  
nes arenulæ maris in mentes mutarentur,  
non possent particulam eius dignè concipere.  
Sed quid ago, cum audeo his comparationi-  
bus bonitatem tuam declarare? Fateor, ô  
Deus infinite, ridiculas esse has omnes exag-  
gerationes,

generationes, quamuis sint grauissimorum Doctorum: ridiculæ sunt omnes ad explicandum illam, & in se ipsas peccant, & ridiculus erit, si quis eis sperat explicari quidquã competens posse. Timeo, Domine, dum laudare volo magnitudinem bonitatis tuæ, ne insultem. Nonne qui vellet sapientiam Salomonis exaggerare, illuderet potiùs, si diceret; Tanta est Salomonis sapientia, vt de eâ non posset scribere mancus, nec narrare mutus, nec satis iudicare amens? Si hæc commendatio esset irrisio, minùs sunt ad rem illæ comparationes respectu bonitatis tuæ, ad quam manca est omnis creatura, muta & insipiens. Ego, Domine, in simplicitate ignorantia meæ, te velim amare; & patienter feram, non intelligere clarè quomodo sis, quod in hac vitâ nõ possum: & quamuis nihil pro dignitate de bonitate tuâ capiam, in eo quòd de illa præsentio obscurè & ruditer, me consolor, te esse magis bonum, quàm vt vñquam possis æquè amari: consolor me, Domine, quòd etsi nos non creasses, nec nobis benefecisses, nec amasses, sed odisses, vt saltem ego mereor; imò etsi impossibile esset, quòd benefaceres nobis, & repugnaret, quòd ita amares nos; nihilominùs ob vnicam perfectionem & bonitatem tuam, & inæstimabilem perfectionem, non posses satis diligere. Quamuis

omnia folia arborum & herbarum, stellæ cæli, arenæ maris, atomi solis essent corda, imò etsi essent ardentissimorum Seraphinorum voluntates, imò etsi omnes illæ & cunctæ reliquæ creaturæ possibiles essent singulæ Seraphinorum Hierarchia, cuius amor in singulis instantibus duplicando semper multiplicaretur per totam æternitatem, nihil esset cunctorum amor, vt satisfaceret bonitati tuæ, imò pudor esset; nec dico, ob totam tuam bonitatem congruè te amaret, verùm nec ob solam patientiam, quâ me suffers non modò peccantem grauitè, sed languidè & cum defectibus amantem tantum bonum.

Sed in hoc me consolor, quòd licet non satis ameris, non etiam satis amari possis à creaturis. Accipe, Domine, pro parte meâ vilem stipem amoris in votis: amorem creaturarum omnium etiam possibilium collectum tibi offero: ego ipse solus vniuersarum amorem, quem cunctæ per æternitatem habituræ erunt, vellem habere in singulis instantibus, & adhuc verecundari & erubescere deberem. Parce, parce, humillimè precor, magne Domine; nec iniuriæ vertas hæc mea pusilla vota & desideria; sed ea excuset coram te infirmitas mea, & magnitudo tua. Accipe hoc desiderium meum, quod dignè nequit dici amor te dignus: accipe & cruciatum

tum

tum meum, quo doleo non omnia te amare: doleo tot animas sponſas tuas per fidei ar- rhas, tot alia hominum corda idonea ad di- ligendum te ardentiffimè, qui Reges mundi cæloque ſublیمیores poſſent eſſe, iacere in ſimo ſuo, & perire in ſe diligendo ſe, & hæc caduca & horribilia bona terræ, & non te, ô pulchritudo rerum, & amor vniuerſi.

## CAPVT VI.

*Quàm magnum beneficium gloria  
ſperemus.*

**V**Sque eò eſt Deus bonus & beneficus, vt patiatnr nos non æſtimare ſua beneficia & bona noſtra. Anguntur & laborant homi- nes per totam vitam, vt obtineant bonum aliquod temporale, ac demum fruſtratur, ni- hil aut parum conſecuti: quomodo cum mi- nimè ſint ſolliciti, imò nec memores vitæ æ- ternæ, putât ſe illam conſecuturos? Bona quæ habent præ manibus, ſummis conatibus non adipiſcuntur; & bona recluſa & diſtantia in cælo putant è terrâ ſine labore comprehen- dere: pro leuibus bonis ingenter affliguntur; & pro ingenti bono, nec leuiter afficiuntur dignè. Quî fieri poſteſt, vt tam ridiculè & ſtupidè agatur cum ſerio ſolùm gaudio & ſtupendo illo bono? O humillima Maieſtas  
Dei,

Dei , cùm hoc vltimum amoris tui miraculum confidero , deficio & stupeo ; quando in cœnâ gloriæ transiens ministrabis nobis.

Quale istud bonum , cuius non decebat ob magnitudinem Deum liberalem omnino esse , sed expectare pretium virtutis , & obsequia nostra , quamuis ista sint etiam beneficia diuina. In creatione & redemptione inopinatò benefecisti , præueniens vota & cogitationem humanam ; sed ad gloriam conatus & officia nostra cum tuâ gratiâ expectas. Proh quantæ magnitudinis erit bonum , quod retardat plenam beneficentiam diuinam præ magnitudine suâ , & operam nostram expectat & laborem ! quod & carè vendit Deus , cùm amicus sit dandi omnia alia gratis : vendidit Laurentio pro adustione , Paulo pro capite , Felicitati pro filiis , Petro pro morte crucis. Imò vt tam carè posset vendere nobis , carissimè emit ipse : crucis nempe ignominiâ , & suâ morte. Cetera beneficia contulit Deus & impendit , vt hoc bonum vellemus , & consequeremur ; quantum erit , pro cuius voluntate tanta Deus dedit & fecit ? & tamen cor nostrum non satis attollitur , vt desideret illud. Si Deus tam varia molitus est , vt gloriam cuperemus ; quantoperè nos debemus conari , vt illâ fruamur ? Si tanta fecit Deus

&

& passus est ut gloriam legitimè daret; quid debemus facere, & pati, ut accipiamus? Stultissimum est, putare posse nos sine labore consequi gloriam, cum Deus tantoperè laborauerit ut daret. Nihilominus duplicato peccamus in hoc dono, quàm in aliis, ingratitude, &, quod peius est, contemptu; quod nolimus consequi, propter quod, ut consequamur, tot sumptus, imò omnia fecit Deus. De reliquis beneficiis ingrati sumus, huius etiam contemptores, dum totis viribus, & spiritu non anhelamus ad illud: sed momentaneam voluptatem præferimus negotio sæculorum.

Quid concupiscimus? cuius satagimus, nisi auarissimi sumus gloriæ? Nundinæ æternitatis momentum fit. Si terra capacissima respectu cæli finiti punctum est; quid erit angusta vita hominis respectu æternitatis infinitæ? & nihilominus possibile est, ut vacet tempus consecutioni & desiderio gloriæ. Si Deus pauperrimo alicui, demonstratis thesauris auro plenis, ita loqueretur; Mille anni vitæ restant tibi, nihil habebis ad sustentationem & victum commodum tanto tempore, nisi quantum ex his thesauris extraxeris per vnus horæ spatium; forsanne pigeret, aut moraretur in ludo aliquo, aut dormiret interim in illâ horâ? Quid torpemus? æternitas  
restat

restat nobis, nec licet com meatum æui parare nisi in tempore vitæ huius brevissimo: cur suspendimus sanctam hanc ambitionem, & otiosi sumus? Minus sunt mille anni ad æternitatem, quàm momentum ad mille annos: quid erunt decem aut viginti anni, qui ad summum reliqui sunt tuæ vitæ, respectu æternæ durationis? Quid cessas benè operari? à te vita fugit, ad te mors currit, manet æternitas: & nihilominus negligis congregare divitias æternas.

Quàm molestum iter fecit Regina Saba, ut videret semel Salomonem, non ut maneret cum eo, sed rediret statim? E longè diffitis regionibus veniunt aliqui, ut hominem insignem videant: quantò magis, ut Deum in suâ Maiestate vel semel videremus, longos conatus præmittere deberemus? Si daretur ut absque aliâ diligentia pedibus veniremus ad gloriam post mille annos, & cæli iter pedibus peruium esset, nemo est qui recusaret profectionem. Commodius tibi restat iter ad cælum; non ultra domum, imò nec lectum, opus est pedem emittere: cur non audemus omni conatu aspirare ad vicinum bonum? Superatur mare ob solum fulgorem vnius lapidis aut metalli; & torpemus ad claritatem Dei, nec infinitum bonum pretio adhuc laboris solius taxamus. Sed quid iacto

æter-

382



æternitatem? etsi gloria non esset æterna, sed momentanea; tanta superfluit eius boni magnitudo, vt æternitas patiendi, non deberet nimiùm æstimari, si vel per vnicum momentum illâ frueremur, videntes in vno instanti Deum.

O quale erit quod Deus parauit amicis suis, si hostibus suis se ipsum præparauit & dedit crucifigendum? Quale erit quod tanti Deo stetit, quod tanti sumptus fuit illi, non minoris, quàm vitæ, auctoritatis, passionis, omnipotentiaæ suæ. Si admiramur ea quæ fecit Deus in vsum hominis, cælum, siderum motus, animalium naturam; quale erit quod fecit Deus ad ostentationem suæ Maiestatis? Si vnus oculi artificium, etiam fœdissimi pecoris aut iumenti, stupemus; quid erit quod oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit? Si hunc mundum, turgurium Adami, ergastulum peccatorum, caueam brutorum, tam admirabilem fecit Deus, vt ad eius considerationem extra se aliqui Ethnici in extasin raperentur; quid erit domus propria & aula Dei? Quantum distat stabulum fœtidissimum à palatio maximi Regis ornato lacunaribus aureis, pauimentis ex lapidibus pretiosis, parietibus locupletissimè bracteatis? imò quantum distat pulchritudo cælorum ab horrido & tetro carcere?

Plus

Plus crede distare sedes Beatorum ab elegantia huius vniuersi, quæ horror erit respectu illius. Plus distat tota hæc pulchritudo huius orbis à sede Beatorum, vt tota hæc venustas, ad quam præ admiratione stupuerunt Philosophi, horror sit & deformitas. Si cælum & natura, quam Deus velut repente fecit, & tam facile ac est dici, talia sunt; quale erit, quod præparauit ab æterno diligentibus se? in naturæ donis, vt dominus se habuit Deus: imperando mundum fecit: at in gloriâ vt seruus transiens & diligens ministrando, quasi placere cupiens. Si pulchritudo mundi visibilis, in quâ non adeò studuit Deus placere, tantoperè placet; quomodo placebit in quo Deus affectauit placere & obsequi? Vniuersus orbis nullius sumptus Deo fuit, nisi vnius vocis; verbo fecit illum: at gloria seruitio & obsequio suo diligentissimum & sollicitum habuit; imò opprobriis, passione, & morte patientissimum.

Si centum annos vacares cognitioni magnitudinis gloriæ, & magnum aliquid conciperes illius, posses reputare nihil te inuenisse, sed tam longè abesse eius intellectu, vt nec de illâ putes coniecturâ suspicatum fuisse quidquam dignum. Sed adhuc in leui suspicionem gloriæ attolle te ad ianuam cælorum; intuere, quàm proximè possis, apertum cælum,

lum, & inde simul despice in terrâ quæ excellentiora & pretiosiora sunt: confer inde vtriusque bona, si fortè apparebunt terrena. Mirare tot studia hominum infelicia, vt sordes terreas seu nihil consequantur; & otium ac torporem, vt vero bono fruantur. Vide inde è fastigio siderum vacuos labores mortalium, certa pericula vt incertum bonum obtineant. Tu verò Dominum audi inuitantem; Veni, posside Regnum meum & diuitias diuinas. donum certissimum sub fide diuinâ promissum, & commendatum diligentia & morte Christi, & votis diuinis. Vbi est ambitio nostra, vbi cupiditas, nisi se explicet & profundat in hunc gaudiorum campum, & verarum diuitiarum thesauros?

Gloriosum me putarem, si consors fuisssem ignominiarum Christi: qualem me putabo cum gloriæ eius fiam particeps? Si ignominia IESU est gloria; qualis erit gloria Dei? Si opprobrium crucis ita magnificet, vt super Imperatorum capita extulerit; si tormenta sua ita honorauit; quantum honorabit & efferet fideles suos, & amicos? Si ossibus Sanctorum concedit inter nos maiorem gloriam, quàm habent omnes Imperatores; quantam concedet apud se animabus? Vis suspicari ruditer magnitudinem gloriæ, quantum excedat nostros labores? metire quan-

Bb

tum

tum cælestes globi excedant terram : punctum hæc est respectu primi cæli : primum cælum , respectu vltimi , aliud punctum , seu potius nihil : in cuius ambitu vni digito spatij terræ respondent in cælo millia millium miliarium. Idem est auctor gratiæ & naturæ, qui plus voluit excellere munera sua in cælo laboribus nostris in terrâ.

Impleat te semper huius expectatio tanti boni. Quæcumque bona videris in terrâ, despice , cogitans statim alia infinitè maiora te habiturum in cælo. Quæcumque mala conspexeris , non timeas , sperans te his omnibus in æternum cariturum. Quæcumque tibi eripiantur, ne doleas, credens per patientiam æternis thesauris concludenda tibi in deposito. Quæcumque contempnas & relinquas Dei amore , ne te arbitreris perdere , æstimans ea non solum seruanda, sed centuplum reddenda. Ne laborem transitorium fugias, qui speras immobile bonum. Qui deberes desiderare pati, vt conformareris Christo in Caluarix monte, sine spe descensus à cruce, ne reicias patientiam , vt conformeris Deo in gloriâ , cum certâ spe ascensus ad tantum gaudium. Quomodo torpemus , si hoc ita esse putamus?

Quomodo æstimamus terrestria, si credimus esse cælestia ? Fortasse non benè credimus.

mus. Vis scire, quomodo corde & sensu intimo non ita credas, quemadmodum ore dicis credere, maxima esse bona cæli? Si res tuæ & fortunæ mille auri pondo constarent, nonne dares omnia, si crederes posse inde lucrari & augere centum millia? at quomodo credimus esse maiora bona cælestia, cum pro eis adhuc moniti non daremus libenter, quæ vltro & cum gaudio dantur pro terrestribus? Pro vili mercede operarius per totum diem laborat; miles millies expectat mortem pro Regno alieno; & nos pro Regno cælorum, vt fiat nostrum, & pro gloriâ Dei, vnâ horâ aliquando non possumus vigilare & orare benè cum Christo. Spernamus vilia & exigua vt accipiamus immensa. Non est tanti accipere parua quàm expectare maxima. O amator & desiderator Dei, desidera & anhe-la ad tantum bonum. Sed ne quietem tuam & commodum tam respicias, quàm quòd ibi securè amabis Deum; & quò plus gloriæ habebis, plus diliges. Gratias ago tibi Deus veritatis, quòd præmium laborum nostrorum copulasti cum amore tui & voto voluntatis meæ, quod est amor tuus.

## CAPVT VII.

*De mortis tolerantia.*

**Q**uamtu vincit beneficentia tua, Domine, spem & opinionem humanam, cum ea ipsa quæ putant homines summum malum & pœnam naturæ, sint fidelibus ingens beneficium? Horribile malum putant mori, quod est magnum bonum, sine quo non veniemus ad omne bonum. Stultè refugis, ô mortalis, mortem, quam vitare nequis; & non times teporem & culpas tuas, quas vitare potes. Nam nihil mali mors habet, nisi quod dedit vita: peccatum Adami fecit mortem, nec tantum potuit vt eam faceret malam: hoc damnum dumtaxat est peccati tui. Fuge peccata, & negligentias; & desiderabile erit mori.

Mortem animæ, cum mala sit, & vitari possit, non timent, nec curant homines vitare; mortem carnis, cum non sit mala, & vitari nequeat, curant effugere mortales, quam debent desiderare, nec huic inimico mundo hærerere. O insania hominum, qui in præceptum Christi de inimicis diligendis colludunt, non alium amando nisi mundum qui nos odit, & inimicus est. Cur amamus vitam istam currentem, quæ fugit nos, & non amamus

mus

mus vitam permanentem quæ expectat nos? Cur sollicitamur de vitâ temporali, quam retinere nequimus; & negligimus vitam æternam, quam obtinere valemus? Vitam æternam si volumus habere, possumus; vitam temporalem etiam si nolimus, amittimus: & tamen non faciunt vtiliter homines pro vitâ æternâ, quod inutiliter pro temporali laborant: illam non desiderant, & huius mortem formidant, quasi malam.

Magnum inuentum etiam misericordie Dei est mors: nam aufert omnes nostræ vitæ ærumnas; tollit æternitatem miseriarum. Quàm miserabile esset, si æternùm has necessitates haberemus surgendi quotidie, accumbendi, manducandi, tolerandi frigus & calorem, laborandi, ægrotandi, quærendi victum, angendi nos curis, patiendi iniurias, occupandi nos semper in muniis vilibus & laboriosis? Quàm miserum esset, si hic baiulus, alter agricola, ille faber, iste subditus per totam æternitatem foret? Plerique pessimi desiderarunt, & consciuerunt sibi mortem, vt fugerent misérias istas: saltem non formidetur, vt veniamus ad felicitatem futuram, & ob vtrumque non molestè feratur. Clementissima indulgentia Dei postquam vidit per peccatum Adami casuros nos in hanc molestam vitam, excogitavit pro bono no-

stro consilium moriendi, ne perperuæ calamitates forent, copulans in eâdem re supplicium & beneficium, iustitiam & misericordiam. Ideò quia tantum bonum est mori, proprium & securum beneficium bonitatis suæ, voluit esse independenter ab vlllo arbitrio humano aut inimici odio. Nam quamuis vitam quivis possit tibi auferre, nemo, nec omnis violentia Regum auferet tibi mortem. Hoc proprium est rerum optimarum, esse extra humanam potentiam, nec alieno arbitrio posse eripi. Si in vno periculo & labore quis esset, gauderet, si inueniret modum euadendi illum: cur dolemus & timeamus mortem, quæ ianua est, quâ effugimus omnia pericula & labores vitæ. Pro gloriâ mundanâ plures appetierunt mortem, pro gloriâ cælesti ne timeamus.

O Deus immortalis, qui natus es non ad viuendum; nam vita æterna eras, vt modò es; sed ad moriendum mortem mortalissimam & acerbissimam pro me: cur ego mortalis ægrè moriar ad viuendum vitam vitalem æternam & iucundissimam tecum, & pro voluntate tuâ? Nescio cum desiderare debeat Christianus IESVM; cur mortem non desideret, cum nisi per mortem frui Deo nequeat? Quid mali potest asferre mors, aut quid tollere potest ab eo qui mundum non amat,



amat, & omnia sua in cælo habet posita? Tum præter gaudium ex conspectu amati habet mors hoc bonum, quòd non ampliùs offendemus Deum. Non igitur mala est mors, quæ tollit malitiam omnem.

At si mala est mors, & inimica humano generi; cur non tractant homines vt malam, & inimicam? Vtinam hoc modo nos haberemus cum illâ, & ageremus, vt cum hoste, prouidendo ne à nobis obtineat spolia, & triumphet de rebus nostris! milites annonam, & com meatum, aliò comportant, vel corrumpunt, ne illis fruantur hostes. Nullam prædam morti debemus relinquere; sed quidquid huiusmodi est quod illa eripere possit, relinquendum omnino est, aut præmittendum in cælum, vbi secura omnia erunt. Nulla spolia seruanda sunt quibus gloriatur, nisi de hac sarcinulâ carnis; quam tamen extenuemus ieiuniis, laboribus, & pœnitentiis, ne integram rapiat. Si mala est mors & aduersaria, resistamus illi, & opponamus clypeum relinquendo res & affectus, vt minùs nos vulneret: si mala mors est, curemus facere bonam faciendo bona. Cur magis timebimus mortem, quàm nosmetipsos, cum illa non possit esse peior quàm nos mali simus? Imò illam nos facimus malam, quia non sumus boni. Faciamus nunc, cum adest tem-

392 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
pus, & possumus, quod in eius horâ volumus  
fecisse, & non poterimus. Parum restat in  
quo laboremus; & comparatione æternitatis,  
nec instans. Ecce iam tot vitæ anni sunt præ-  
teriti; & qui restant, non sunt longiores.

Verùm mors non est mala in se, sed po-  
tius bona: & nos essemus optimi, si illam  
imitaremur; & faceremus quod illa facit,  
spoliando nos rebus omnibus: ita si nihil gra-  
tum & iucundum in mundo haberemus, ipsa  
esset iucunda nobis & placida. Solùm potest  
timere mortem, qui amat alia & non Chri-  
stum. Non est seruus fidelis, qui recusat ire  
ad præsentiam Domini. Si te amarem Do-  
mine, non timerem mori: nam gauderem  
facie ad faciem te videre & amplecti, & quòd  
in me adimpleta esset voluntas tua; alioqui  
mentior, cùm quotidie postulo fieri volunta-  
tem tuam sicut in cælo & in terrâ. Voluntas  
tua fuit mori, non vt immortales essemus in  
hac vitâ, sed vt benè moreremur viuendo  
melius. Da mihi, vt sicut adimplenda est vo-  
luntas tua, quamuis ego nolim in morte meâ,  
vt ego velim & impleam in morte bonâ per  
meliorem vitam.

Gratias tibi ago, benignissime Domine,  
pro hoc mortis beneficio, sicut tua sapientia  
disposuit: gratias tibi ago, quòd moriturus  
sim; & quòd nesciam, quando, & vbi &  
quomodo

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. IV. 393  
quomodo moriturus sim. Bonum mihi & solatium est certitudo mortis, quod sit secura ianua, ut te videam, & effugiam huius vitæ miserias, & despiciam fallacia hæc bona. Quis si sapiat, etiamsi certus esset numquam se experturum tristitiam aliquam, sed felicissimum in cunctis futurum in hac vitâ, non contemneret illam, & omnia eius bona, cum videat deserenda sibi cuncta in morte suâ certissimâ? in cuius momento omnia præterita gaudia, omnia præsentia bona, iam dimittenda, tantumdem sunt ac si fuissent nihil; imò minùs iuuant, nam torquebunt relinquenda. Solum quod homo non amat nec possidet, non affliget illum in illâ afflictionis horâ. Incertitudo quoque modi, loci, & temporis moriendi, grata mihi est, ut certiùs tibi, ô Deus, seruiam omni tempore, loco ac modis omnibus, ut dignus es. Hoc diuinum est consilium, certam sollicitudinem melioris vitæ generare in nobis ex incertâ conditione mortis.

Verè scio, Domine, nescire me, vtrum odio an amore dignus sim, & qualiter post hanc vitam excipiar; nec volo scire, quia id mihi expedit ignorare iuxta beneplacitum tuæ sapientiæ. Sed non propterea magis formidabo mortem, quàm desiderabo te, atque in te sperabo. Libentissimè fero omnia

B b 5 in-

394 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
incerta esse mihi, quia certissimum est, quòd  
sufficit mihi te esse misericordissimum & a-  
matorem meum, & velle & posse saluare me,  
si humiliter in te confidam. Quid interest,  
quòd ignorem, quomodo, & quando, &  
vbi moriar ego, si certus sum te pro me iam  
mortuum esse, & morte crucis, & sub meri-  
diem & inter duos latrones in monte Calua-  
riæ, ne mihi vllò modo dubius esset amor  
tuus, vt in te sperarem? Ex me, Domine, ni-  
hil possum, nec benè viuere, nec benè mori;  
ex te vtrumque possum, vtrumque spero,  
vtrumque habebò: & si benè non vixi, ex te  
Domine habui velle benè pœnitere, & spero  
à te vt meliùs viuam; cur non sperabo benè  
mori? Non est integra spes, nec sufficiens fi-  
ducia, si vnum à te spero, & aliud desperem.  
Maximus peccator fui, & sum. Sed fortasse  
non est licitum tibi facere de tuâ creaturâ  
quidquid velis? Vis Domine saluare me, vis  
misereri.

#### CAPVT VIII.

*Se debet homo tradere Deo pro  
beneficiis suis.*

**N**on est similis tui in diis Domine, &  
non est secundum opera tua. Sufficie-  
bat tua bonitas, vt te amarem: quid me vr-  
ges

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. IV. 395  
ges operibus, & beneficiis? Tu creasti me,  
quando non eram: tu quæstisti, quando perij:  
inuenisti, cùm perditus fui: redemisti, cùm  
in peccatis maledictus fui: saluasti, cùm  
damnatus fui: sustinisti, cùm obstinatus  
contra te fui: corripis, cùm delinquo: indul-  
ges, cùm reus sum: doces, cùm erro: pascis,  
cùm esurio: potas, cùm sitio: foues, cùm fri-  
geo: refrigeras, cùm caleo: saluas, cùm vigi-  
lo: conseruas, cùm dormio: leuas, cùm sur-  
go: reparas, cùm cado: sustines, cùm sedeo:  
tenes, cùm sto: vehis, cùm ambulo: excipis,  
cùm ad te venio: reducis, cùm à te recedo:  
reuocas, cùm deuo: vndique inundant me  
& exundant extra me beneficia tua. Id ip-  
sum, quod non habeo, beneficium meum  
puto, quia tu Domine donas, prout cuique  
expedit, & negas vt prosit. Ipsum quoque  
quod aliis dedisti, beneficium meum iudi-  
co. Tot beneficiis me constringis, vt ne-  
queam non te amare, ô bonitatis fons, et-  
iamsi non bonus esses, imò etsi malus esses.  
Quamuis tu Domine tam bonus es, vt licet  
pro beneficiis, quæ in me contulisti, fe-  
cisses iniurias, non possem non te amare.  
Non est opus, vt te amem, benefecisse mi-  
hi, non est opus me amasse: tam bonus es,  
vt etiam si me odisses, te amarem & debe-  
rem amare plus quàm omnes amatores  
meos

396. IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
meos & benefactores, etiamsi tu mihi ma-  
lefecisses.

Cur opus fuit, quem eruisti è nihilo vno  
beneficio, obruere innumeris? A me nihil  
amplius desideras, quàm me solum. Iam to-  
tum me tibi debeo primo beneficio, quia to-  
tum me dedisti mihi: vt quid tot alia super-  
addis? vt quid, postquam me dedisti mihi,  
insuper donas mihi temetipsum? Non par-  
uum debitum tui sum ego ipse, & tota sub-  
stantia mea: nec aliud habeo vltra me; hoc  
quod habeo, libentissimè reddo, me ipsum.  
Sed quare cumulare vis debitum, quod sol-  
uere non possum, donans temetipsum? O  
spiritus infirme, euge euge, soluere etiam hoc  
debitum cura. Deo potes reddere Deum, si  
habeas Deum. Te quærit Deus, & omnia  
quæ legitimè habes; nec potes legitimè ha-  
bere aliquid nisi Deum. Habe Deum, & ha-  
bebis te legitimè, vt soluas vtrumque benefi-  
cium. Se dedit tibi Deus; nam Deo non te  
potes dare, nisi sis tuus: tuus verò non eris,  
nisi Deus sit tuus; nam habendo Deum, te  
habet: ita cum te das Deo, Deum quoque,  
qui tuus est, dare quoque potes. Sed neque  
te neque Deum habebis, nisi ames Deum:  
nam amore Dei illum possides, & illum alie-  
nas, non reddendo debitum quo te debes  
Deo. Dedit se Christus, vt coneris fieri Chri-  
stus,

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. IV. 397  
ftus , fi velis foluere debita tua , te dando.  
Nam fimul tunc dabis Christum , millies  
quotidie crucifixum, dum mortuus fis mun-  
do, & omnibus voluptatibus eius.

### C A P V T IX.

*Quòd Deus dumtaxat fit amandus.*

**I**Niustus tibi es, ô miser homo, si ames bo-  
na , quæ non possunt te amare, aut homi-  
nes qui possunt te non amare ; & quamuis a-  
ment , tu potes id dubitare, aut illi definere  
amare. melius est amare Deum , qui quan-  
tum potuit amat , & infinitè amat, & qui ne-  
quit non te amare si ames. O immensa Boni-  
tas , quid est quòd me ames , cùm me odisse  
deberent omnes creaturæ ? quid est quòd a-  
mari cupias à me, inter amatores tuos me feli-  
gens ? qui indignus sum adhuc , vt sim inter  
dæmones, quorum seruus fui factus; & singu-  
laris & atrocior infernus mihi debetur , quia  
singulariter & inuerecundiùs te contempsi,  
qui pro me mortuus es, non pro Angelis.

Ius est, vt aliquando incipiam amare eum,  
qui ab initio sine initio me amat , & in finem  
sine fine me amat , & ab æterno expectat vt  
amem. Amaui aliquos , qui me non ama-  
bant : iam amabo illum , qui antequam eum  
nouissem , me amauit ; qui amatus num-  
quam

398 . IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
quam non amavit, & amando cogit se amari: quem amare virtus summa est; à quo amari felicitas. Quid hæsitas, ô anima, amare eum qui necessariò te amat fideliter, ut ames eum qui perfidè forsitan te amabit? Infeliciter amabis bona, quæ si amet alius, irasceris; aut homines, qui si ament alium, combuèris. Amor Dei immunis est dolore & curis: qui quòd amet alios, gaudebis; & quòd eum ament omnes, optabis. Hæc Dei sufficientissima bonitas est, ut amet omnes, & ametur ab omnibus cum nullius iacturâ, vel amantis vel amati, sed cum omnium maiori gaudio. Reliqua imbecilla & mendicæ sunt, quæ non sufficiunt amare duos, vel amari à duobus, sine alterius fraude.

Ne ames ea quæ aliquando pereunt: nam quotidie millies peribis. Ama bonum æternum, ut in æternum beatè viuas, & interim benè viuas. Aufer amorem corruptibilium rerum, & auferes totam miseriam humanam. Qui amando quæris benè esse; cur amas ea, quæ hoc ipso quòd ames, miser eris? ama illum, qui etiam inter has miseras vitæ felicem te faciet. Ut quid amas bona, quæ te faciunt malum fruendo, & optando miserum? Ut quid amas homines, qui non te amando faciunt te iratum, & amando ridiculum & mollem? ama Deum, quem optando  
te



te facit bonum, & fruendo beatum. Ne ames formas, quæ te deformat; sed amatum, quem amando te faciet formosum. Stultum est amare bona, quibus hoc ipso quod amas, dignus es illis carere; imò cares; & non amare bonum, quo hoc ipso quod amas frueris. Bona amata non sunt tua, sed tu illorum; quare cares illis. Deus amatus tuus est, quem amando carere eo nequis; & solum cares, cum non amas: cetera cum non amas, in Deo habes.

Cur amas bonum, quod indiget bono, & non quod affluit bonis? Quando amatur bonum, quod aliquo bono eget, miseria augeatur, non minuitur indigentia. Omnia bona mundi egena sunt: nullum per se sufficit, & requirit aliud. Ama bonum quod alio bono non indiget. Omnia sunt bonitate bona, quare omnia bonitate indigent, ut sint bona. Bonitas per se sufficit, & nullius eget: hanc si ames, bonus & beatus eris. Solum amatum, qui solus est omnia. Minimè ames bona, quæ nolunt à te amari: sed amatum, quem omnia volunt amare, Creatorem tuum; qui & à te vult amari, & te amat, & creavit tibi omnia bona. Absurda stoliditas est non amare Deum, qui à te desiderat amari, & quod ames lutum, quod non vult à te amari. Cur oculis pulchrius, & palato iucundius

dius

400 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
dius quæris, & non voluntati melius?

Ad normam solùm Dei factus est amor: ideo nulli alij rei coopratur, nec quiescit. Calceus Goliath minimè adæquaretur pedi Zachæi. Amor est primum donum: cui nisi primo bono debetur & primo benefactori? Amor est donum per se, cui nisi bono per se dandum? Amor est donum naturâ suâ, cui nisi bono naturâ suâ offerendum? Amor est donum principium reliquorum donorum, cui magis donandum, nisi illi Bonitatis essentia quæ principium essentiarum est? Amor per se est acceptabilis sine aliis donis, & reliqua dona sine amore displicent; cui conformior quàm Deo, qui per se est amabilis & placens, & sine illo nulla debent placere? O Domine, quomodo possum te dignè amare, cum nec dignè possim seruire tibi, qui non habeo vnde tibi seruiam? Tua sunt omnia; quia tu donasti mihi cuncta, potiùs seruiendo mihi. Da, qui me amas quantum potuisti, vt te amem plusquam possum.

#### C A P V T X.

*Extirpandum esse amorem sui.*

**V**T ames & honores Deum vt decet, non satis est non amare te, & mundum; sed oportet te odisse, & vilissimum putare super omnia,

omnia, & dignum odio omnium creaturarum. Vergente naui in vnum latus, in contrarium transeuntes nauæ inclinant. Nimiùm te amasti, opus est nunc te odisse. Vt maiori impetu profilias antrorsum, oportet retrocedas, & cursum ex distantiori arripias. Vt Deo vehementiùs appropinques amando, imò vt te ames verè & rationabiliter, à fastidio tui impetum collige. Tantò est cursor proximior metæ, quantò distat à primâ lineâ: eò viciniior Deo fies, quò à te remotior. A te debes exire, vt ad Deum finem omnium venias. Nullum magis aduersarium, quàm te habes: plusquam capitales inimicitias tecum debes gerere, quia plusquam capitalis hostis tibi es: enormiùs te offendis, quàm nemo alius. Ab amico lædi acerbìus ferimus, quàm ab extraneo, quia præterquam sperabatur contingit: turpius & odiosius erit à te lædi, qui nullo modo læsisse debueras. Molestè ferimus lædi corpus ab hoste, molestiùs ab amico, à quo salutem expectabamus: cur patienter sustinemus lædi à nobis animam? Corpus nostrum tradi summo Principi ægrè habemus; & mentem tradi cuius homini vulgari & vili stercore non pudet, cùm perturbamur ob quodlibet conuitium, & iniuriam, aut iacturam. O quantus pudor & molestia nobisipsis sumus! Pudor & erubescencia est

Cc facien-

facientiū mala, molestia & onus patientium: vtraque miseria conditio nostra est: nobis facimus mala, & à nobis patimur: miseri nobis sumus, & immisericordes; violenti, & violati; superbi, & viles. O quàm truces & immisericordes sumus, cū nostri miseremur, & non irascimur! Perinde est misericordia & amor proprius, ac compassio quā quis colubrum gelu rigentem in sinu foueret, qui refocillatus pestifero morfu occidet benefactorem.

Evidentissimum est, plus debere te iratum tibi & perosum esse, quàm cunctis hostibus tuis: & quantum ad affectum erga te, quò minùs respicis gloriam Dei, & impediris quærere solū voluntatem eius & honorem, iustiùs quàm in hostem & totum infernum debes in te sœuire sine modo; quamuis in effectu, & macerationibus externis, prudens moderatio requiratur, iuxta superiores tuos & confessarios, & rectam rationem; vt in hoc etiam quæras gloriam Dei, propter quam expedit etiam tibi parcere in cruciati- bus aliquibus immodicis; sicuti propter gloriam Dei & nostram salutem cogimur ignoscere aliis inimicis, & consulere illis. Nam quod Deus à nobis in primis exigit, & in quo vindictam præcipuam debemus sumere, est mors voluntatis propriæ, non corporis. Iuxta hæc evidentissimum dico esse, plus oportere

te

te irasci tibi, quàm cunctis hostibus & malefactoribus tuis. Excogita hominem, cui plures æmuli capitali odio infidiabantur, traditum esse in munitam & tutam arcem, vt seruetur & defenderetur à cognato vnico amico suo, strictissimâ necessitudine & omnibus vinculis & obligationibus coniuncto, qui solus fidus credebatur & debebat esse; nec aliud asylum restare homini illi, nec spem nec fidem alibi esse: in cuius amici potestate fuit positum, vt nullo modo posset illum aliquis inimicus lædere, nec capillum eius contingere, nisi ipse inimicum introduceret illuc, & claues arcis traderet, dato suo consensu manus suæ litteris subscripto. Si iste qui debebat fidelis & amicus esse, tam perfidus inueniretur, vt omnibus aduersariis referaret ianuam, & introduceret, vt læderent hominem illum, contemnerent, omnem in eum sæuitiam exercerent prout libitum esset; & prætereà ipse quoque, qui debebat defendere, perniciosius sæuiret, offendens præ omnibus illum; imò si aliquis benefacere vellet, impediret, vt nullum bonum nec munus sanum ad illum accederet, sed si aliquod veniret ipse corrumpere, aut venenum aut absinthium miscens: cui igitur infensior esset homo iste miserrimus? an alicui hostium, an illi amico consanguineo, perfidissimo, qui solus ce-

teris cunctis inimicis æquiualebat? quippe nihil vniuersi valebant sine illo. Quàm incredibile infidelitas, crudelitas, inhumanitas eius hospitis esset! omnium odium in illum conuerteretur, quòd plus cunctis noceret. O beneficentissima Veritas! quæ incolumitatem meam meæ solum confidentiæ commendafti, vt qui charior mihi debebam esse; sed sum atrocissimus contra me. Dæmones, homines, infernus, mundus, aduersus me sunt; sed omnes manent inermes, nisi ego arma ministrem: omnes innocentes erunt, nisi ego mihi noceam. In meo arbitrio est meum damnum: nec vllus me verè lædet, nisi ex licentiâ meâ, nisi voluntas mea sit, nisi postquam ego me prodiderim. Ego vnus fabrico mihi omnium iniurias omnes, quas immeritò imputo aliis: ego resisto beneficentiæ Dei, impedio effectum donorum suorum, inficio gratias suas, corrumpo virtutes ipsas abutens omnibus; quomodo mihi adulabor molestissimo, quomodo mulcebo & fauebo nocentissimo? Non est sufficiens odium iniuriis mihi illatis à memet. Quoties mihi imposui? quot culpas contraxi? cælo me fraudavi, gratiam neglexi: & ne numerem spiritualia damna, quæ sunt sine numero & modo; quot tristitias cordis, quot afflictiones mentis, quot infortunia rerum, quot iacturas  
tempo-

temporalium, quot morbos corporis, quot contemptiones, quot conuitia, quot irrisiones conciliaui mihi, per inordinationem passionum mearum, paruam circumspectionem, & gustum appetitus! Si vnus ex iustâ causâ me contristet, offendor; cur aduersus me non irascor, cum me iniustissimè passim lædâ? Si semel deprehendisses, ô homo mendax, aliquem mentiri, numquam fideres; & à te deceptus & læsus toties, adhuc tibi confidis, nec te habes in omnibus suspectum.

Verùm quid recensco iniurias meas? Sufficit, vt me horream, & mea omnia sanctè oderim, quæ impedimento fuere vt expedite amarem Deum. O Veritas sanctissima, & fidelis, quia in me ipsum scelestus & infidus fui, deberem me abominari, & non quærere me; quantò magis, quia scelestissimus & perfidus fui tibi? Propter memet oportebat me odisse; quantò magis, Domine, propter te? Quia non me iuste amaui, decebat me horrere; quantò magis, quia nullo modo amaui te, qui solus debes amari. Non amaui te, quia nec me amare noui: imò non me amaui, quia non amaui, quod ego eram reuera, sed aliud minus. Non amaui animam, quod præcipuè sum; sed solùm corpus, quasi solùm & omnino corpus essem, quod non sum: nam habeo etiam animam, pro quâ

406 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
posuit suam Filius Dei. Ut amarem partem  
meam, non amaui me totum; & quod plus  
doleo, non amaui id quod mihi est totum,  
Deum Salvatorem meum.

Si zelum Dei habes, perfide homo, non  
poteris non habere odium tui. Do ut parcas  
tibi in iis quibus tibi nocuisti, & in te pecca-  
sti; satis restat causa odij proprij, non amasse  
Deum, & in eum peccasse. Irasceris cum  
audis malignitatem Caiphæ, & proditio-  
nem Iudæ, & ad ipsum solum nomen ex-  
candescis: cur in te blandus eris? Dic, ô spi-  
ritus superbe, si particulam veræ humilitatis  
habes, hoc est veritatis, nonne te iudicas pri-  
mum & maximum peccatorem omnium?  
imò nihil facies, cum sanctus Paulus id de se  
putavit: quare & peruersissimum omnium  
creaturarum te debes putare, & adhuc su-  
perbè tibi locum assignas. Nihilominus  
nunc rogo, si pessimam creaturam te putas,  
ergo peiorem quàm Iudam & Caipham, &  
quemuis alium: si igitur peiorem te iudicas,  
consequenter age, ne ridearis ab Angelis; &  
ut in peiorem, amore aut odio & zelo in te  
animaduerte. Vide nunc, si peccatum Iudæ,  
aut peccata Antichristi merentur amorem.  
Si Deus tuæ dispositioni commisisset suppli-  
cium eius qui alapam impegit IESU, aut pri-  
mum qui spuit in faciem illam, quam desi-  
derant



derant Angeli videre, aut maledicti Arrij & Nestorij, aut peruersissimi Antichristi, aut mendacissimi Luciferi, vt punires peccata horum prout iuste tibi videretur; quomodo te haberes erga illos? an fortasse illos mulceres, & adulareris, & curares in omnibus delectare? an potius curares ostendere in conspectu omnium creaturarum, quantum apud te valeret gloria & honor Dei violatus? Non minus severo animo debes ardere contra te: nam peiorem te debes putare, si non est ficta æstimatio tuæ vilitatis; nec te, nec Deum vis fallere. Seuerius & fructuosius apud te in te ipsum oporteret moueri, quàm erga peruersiorem dæmonem. Dæmon vnum peccatum fecit cogitationis, ob quod damnatus fuit: tu innumera etiam operis. Ille peccauit in Deum, cui minus obligatus erat: nec enim Angelus fuit factus Deus, nec tormenta pro Angelis est passus; nec illis aliquando pepercit, quemadmodum pro te homo factus Sanguinem suum effudit; & plusquam septuagies septies pepercit tibi, & parceret. Attende nunc; essetne laudabile familiaritatem contrahere cum magnò illo principe dæmoniorum, & eius honorem aut voluntatem curare? cur tecum amicitiam nimiam habes, & tuum honorem desideras, quietem sollicitas, voluptates & voluntates tuas facis? Ite-

408 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
rùm rogo, si illum spiritum malignum, qui  
sæpius te decepit, tentavit, & induxit in pec-  
cata, & à salutis viâ te amouit, traderet Deus  
in tuam potestatem, & deinde alium, qui  
minùs tibi nocuit; & iuberet Deus, vt vtrum-  
que punires iuxta damna quæ tibi fecerunt,  
in quem atrocius sæuies? in eum qui tibi  
plus nocuit, ane in istum benignus esses? At  
quomodo tibi pacificus es, qui tibi insolenti-  
or es, & magis noxius; non dico illo spiritu  
inferniori, sed vtroque, cùm neuter te læ-  
dere possit, nisi tu velles, & consensu tuo?  
Sæpius seduxisti & læsisti te, sæpius tentasti,  
& scandalum tibi parasti: nunc nescio quo-  
modo te benignè aspicias, qui te debes aspi-  
cere peiorem, & nocentiorẽ tibi, quàm  
Caipham, Arrium, Antichristum, Lucife-  
rum. O anima, per IESVM obtestor, vt con-  
sideres hæc, si ita sint; si verum sit, quòd te  
plus lædas, quàm Lucifer maledictus lædere  
potuit: & ne te ames inordinatè, si habes ze-  
lum honoris diuini & exaltandi gloriam Dei:  
quantum enim per priuatum amorem te eri-  
gis & curas, tantò Deus, quoad gratiam &  
virtutes, in te minuitur, & humiliatur: at  
quantum per odium humile tui te aspernaris,  
tantò Deus in te augmentatur, & exaltatur.  
Quis maior inimicus tibi quàm tu, qui in te  
non permittit exaltari Deum?

At

At si te, ô homo nequam, non oderis plusquam alios inimicos, te saltem ante oculos habe, tamquam aliquem inimicum. & pariter inuideas; nec in illâ tui prosperitate, & delectatione corporali gaudeas. Cùm illi, quem odisti, aduersi quid accidit, gaudes; ita tecum debes affici: cùm inimicus contemnitur, & ridetur, lætaris; sic cùm tu irrideris, & despiceris. Inimicum non mulcebis, non inuitabis ad delicias; pariter nec te. Inimicum semper velles affligere, insidiaris semper, captas occasionem vindictæ: sic tecum age, si in te odium armas; hoc enim odisse est. Si hæc non feceris, seduceris, putans te amore tui non ægrotare. Vbi non interuenit beneplacitum Dei, affectum omnem erga te oportet trucidare viriliter pro gloriâ diuinâ. Pro eâdem tamen, in effectu asperitatum exteriorum, oportet subiectum esse alicui prudenti viro & zelatori maioris gloriæ Dei; vt sic quoque sacrifices voluntatem & iudicium proprium.

Non tamen existimes, vitam se abnegantis, fastidientis, & persequentis, intolerabilem & tetricam esse: imò lætior erit. Plus hilaris amor Dei est, quàm proprius. Satis lucris est in odio tui, Amor Dei. Præstat quòd Deus ardentissimè te amet, quàm quòd tu ipse te ames. Vtilior tibi Deus potest esse; & gestit

exhibere gaudia, ad experimentum suæ iucunditatis potentissimæ ad beatificandum, in ipsis molestiis vitæ & iniuriis hominum consolans, & delectans, probationem suæ dulcedinis exhibens. Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habitus sunt pro nomine IESV contumeliam pati. Memento admirandi, sed verissimi dicti: Omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis. Potuit Deus pueros Babylonicæ fornacis ipsis flammis recreare, & ex igni refrigerium præbere: potens est & in aduersitatibus non contristare. Præterea si de malis eorum, quos oderimus, lætamur; de iis, quæ tibi grauias contingunt, gaudebis: cumque plura aduersa eueniant quàm commoda, sæpius lætari necesse est, quàm cum te amabas. Incommoda sunt præstò & obuia; commoda rara & extra usum: quare necessariò sæpius gaudebit, qui de aduersis suis gaudet; quia necesse est semper aliquid pati in hac vitâ. Non sunt ita sub casu mala, ut sunt bona. Fruitio bonorum dicitur fortuna, quia fortuitò & rarò eueniant: non ita malorum frequentia; quare minori interruptione gaudebit, qui sedes lætitiæ mutauit. O quantum gaudium est, esse exoneratum se ipso, & exemptum importunâ & molestâ curâ sui! Credo, eum qui se deposuit, & reliquit,

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. IV. 411  
quit, euasile huius vitæ miseras & angores.

Neque leuis fructus serij & sinceri odij proprij, est amare alios. Vide quàm insolens & quàm potens hostis sit, amor sui: tam robustus est tyrannus, vt æquiualeat & occupet locum charitatis erga omne genus humanum, & Deum ipsum, quorum dilectiones vnus amor proprius sæpè deuorat & consumit. Qui se nimiùm diligit, nec Deum nec alios nouit diligere: qui se verè odit, etiam affligentes se ipsum amabit; gaudebit, si oppressione alicuius molestetur, considerans illud in se deprimi & pati, quod sibi præcipuè obstat & aduersatur, & à se meritò odio haberi & molestari debet: cumque nemo ægrè habeat, si aliquis infectetur secum pariter & affligat hostem capitalem suum, potius adiutori gratiam habet; sic qui se odit, eum qui ipsum persequitur & adiuuat, amabit potius.

Non leuis quoque fructus odij sui est non amare peccata: omnia procedunt ab amore proprio, qui est metropolis omnium cupiditatum & vitiorum, à quo cetera deducuntur. Irâ non peccabit, qui gaudet læsus; nec superbiâ, qui cupit contemni; nec impatientiâ, qui omni supplicio se dignum putat. Non leuis fructus est, tollere omne impedimentum vt ames Deum; non leuis utilitas, subdere te tibi,

bi, & esse verè & pacificè dominum tui. Denique si vis scire, quàm vtilius sit odisse se, opus est vt cognoscas quantum distet gratia à peccato & virtus à vitio: tantò fructuosius est odisse se ex virtute, quàm se amare ex vitio. Si homines oderunt cum perniciose proprià eos qui nocuerunt sibi, minus quàm tu te læsisti; tu cum virtute, laude, & præmio, te habes odio, qui plus omnibus tibi nocuisti.

## CAPVT XI.

*Quà ratione diligendi sint proximi.*

**O** Veritas amabilis, da mihi vt amem te super omnia, & omnès propter te: da te amicis meis, & omnibus iis quibus bene volo, non diuitias, & bona falsa atque indigna amore. Disce spiritus infirme sine iniurià amare. Sæpè dilectionis modus adæquatur odio aut contumeliæ. Magnam irrogabis iniuriam amico, quem amas, si optes illi diuitias tamquam verum bonum: excellentiùs enim, quàm ipsum, illas diliges: nam eas amas vt sufficientiam, illum vt egentem; quare libentiùs carebis illo, quàm istis. Hinc fortuna, arbitra amicitiarum; & mutatio eius, est mors amoris, & natiuitas perfidiæ. Hinc æquale periculum sinceræ fidei, siue amicum propter diuitias, aut diuitias amico.

Sicut

Sicut veræ amicitiaë similis est ratio, cum amas omnes propter Deum, & cum Deum solum illis amas, quia Deum solum diligis. Nihil aliud quam Deum desiderares omnibus, si propter nullam aliam rem amares. Hoc examen tui amoris erit, an vera charitas sit. Qualia vota, talia beneficia. Non potest alteri amare diuitias, qui non amet etiam diuitias. Sit Deus beneficium commune à te donandum omnibus: quem si dederis, satis diuites relinques. Et plus cures beneficia quibus omnes ames, quam quibus amaberis ab omnibus: nam qui omnes verè amat vt oportet, saluabitur; sed non propterea erit saluus, quòd ab omnibus ametur.

Nullâ mercede vendendus & vilipendendus est amor: gratis semper prodigatur. Deum vendit, qui charitatem impendit alicui, nisi propter ipsam: nam Deus charitas est. Nulli obicias beneficia tua: sed quemadmodum putas Dei munus esse quidquid boni tibi fit ab aliis, & Deo totam gratiam refers; ita beneficium Dei æstima, non tuum, quidquid aliis exhibueris: imò reputa maius beneficium tibi factum à Deo, quòd te elegerit, vt instrumentum & vicarium suum ad benefaciendum. Amorem ab aliis non concilies de temporalibus, sed in spiritu: nam quod diffunditur per temporalia, & non per  
 Spiritum

Spiritum sanctum, cupiditas est, non charitas; non amor hominis, sed auaritia rerum. Simili modo benefac aliis, ut vis quod Deus benefaciat tibi. Omnia eadem lege fac cum aliis, ac Deus tecum. Concede, o Amor amorum, ut omnes amem, sicut tu amasti me, & amasti illos: concede ut omnes amem propter te, & nullus me amet propter me. Mallem, si fieri sine peccato posset, ut omnes me odissent, quam quod me amarent, si propter me amarent: nam si omnes odissent, haberem quod est meum; si propter me amarent, usurparem quod est tuum. Impurus est omnis amor, qui non sit propter Deum. Solum amor Dei sincerus est & defæcatus, cum non permisceat, nec compatiatur secum mixtionem contrarij affectus. Ceteri amores, aut inuidiæ aut iræ aut odij causæ solent esse, vel aduersus ipsum amatum, vel aduersus alios. Amor Dei constans, & æternus est; ceteri fugaces & alati. Lucrum igitur erit, ut amer propter te Deus mi, & non propter me.

CA-



## CAPVT XII.

*Nihil desiderandum esse nisi quod  
Deus vult.*

**Q**uid est magis consentaneum, vt te diuinæ voluntati subiicias conformando, aut quòd diuina voluntas tuæ seruiendo conformetur tibi? An fortè præsumes de te, quòd velis meliora, quàm Deus, vel scias salubriora? Memento quoties tibi mala placuerunt, quoties damna tibi parasti; & econtrà quàm magnum experimentum bonæ voluntatis exhibitum sit à Deo. An fortasse mala voluntas fuit incarnari pro te? an mala voluntas fuit manere in Sacramento tecum? an mala voluntas fuit mori ob amorem tui? Ecce eadem est voluntas eius qui pro te hæc fecit, ac qui modò vult, vt patiaris hanc afflictionem, molestiam, dolorem, aut iniuriam. Eodem amore, eodem fine vtraque vult, attendens sollicitudine maximâ quod tibi bonum erit. At si bonum tibi fuit, vt Deus vellet pro te pati dolores, necessitates & ignominias, ne tu patereris; debes etiam credere, cum aliqua permittit te quoque pati, plurimum id tibi expedire, & valdè bonum ac salutare fore. Satis meruit de nobis voluntas illa excellentissima incarnandi, vt sustine-

sustineremus aliquid graue si vellet; cur non meretur, vt illi conformemur, cum omnia salutaria nobis desideret? Deberemus pati multa, vt in aliquo faceremus voluntatem Dei; cur cum in multis videmus iam factam, non patiemur libenter aliquid? Quid melius debes optare, quam velle, & habere quod est melius. Hoc solum est quod vult, & amat is qui in se & tibi est melior, Deus tuus. Deus est infinite potens, infinite sapiens, infinite bonus & beneuolus: plus te diligit, quam tu te ipsum: plus desiderat & querit bonum tuum: melius scit quomodo illud consequi possis: vires habet vt omne obstaculum tollat, & efficiat quod ad id expediat. Quid igitur putas, cum lamentaris & desles hunc euentum, cum aegre fers hunc morbum, dolorem, iniuriam, molestiam, infortunium, siue proprium siue alienum, siue priuatum siue publicum? Anne Deus errat & fallitur? an nos affligit ex inuidia aut mala alia voluntate? An defecit hic omnipotentia eius, nec amplius potuit facere, vt euitaret hoc quod putas damnum. Non accidit hoc ex imbecillitate Dei, aut malitia, aut deceptione; sed ex potentia, sapientia & bonitate summa. Cur tu reprobas & resistis, quod approbant & in quo occupantur attributa diuina?

Permitte te Deo, vt regat te, qui te creauit  
ad

ad gloriam suam : in hunc finem disponit omnia , & absque dubio illuc te perducet, nisi tu resistas ordinationi eius. Ne velis arbitrio tuo regi. Qui vehitur in naui, non vult regere nauim iussu & arbitrio suo, sed munus integrum permittit nauclero ; & cum insurgit tempestas , maximè obedientissimus est illi , nec contra eius voluntatem quidquam audet mouere aut moueri. Anne imperitiùs sciet Deus regere mundum suum, quàm nauclerus nauim ? cur quod cum homine faceres , vt te in terram , quò tendis , deponat ; cum Deo non facies , vt te in cælum ducat ? Deus optimè nouit gubernare suam domum , suum inquam mundum : non opus habet tuo consilio ; relinque omnem curam illi : ipse te portabit ad terram salutis.

Hæc mala tibi immittit contra gustum tuum , aut propitius Deus , aut iratus. Si propitius ; cur non consenties tuo bono , & addes suffragium tuum iis quæ sunt pro tuâ utilitate ? si iratus , etiam vt mitigetur cedere debes. Homines irati , si quis resistat , magis irascuntur ; si nemo contradicat , statim mansuescunt : sic Deus mitigabitur , si non solùm taceas & feras , sed consentias , & gratias referas. O insane homo , quomodo audes dicere , Hoc nolo , aut volo istud , cum nescias quid tibi in bonum accidet ? cur recusas pati molestias ,

D d                      iniu-

418 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
iniurias, humiliationem? fortasse non recor-  
daris te peccatorem esse, aut non poterunt  
molesta & humilia fieri à Deo instrumenta  
gloriæ? Odium fratrum, & inhumana illa  
venditio charissimi sui filij, Iacob parenti  
fuit causa salutis, ipsi Iosepho vendito gloriæ  
& Regni: quamuis enim

— *coniuratos germanum vendere fratres*  
*Cogit liuor edax, profunt contraria Iustis.*  
*hoc opus est gratia:*

vt deuotè loquitur magnus Alchuiinus. No-  
uit ars diuinæ beneficentiæ ex malis maiora  
bona exprimere; hoc est, summum opus gra-  
tiæ. Quid doles iacturam valetudinis, aut re-  
rum tuarum, aut tuorum? nam vel laudabi-  
liter expendendæ erant, & Deus accipiet vo-  
luntatem pro facto, & insuper accrescet me-  
ritum patientiæ; vel nequiter tractandæ &  
consumendæ erant, & tunc gratulari tibi de-  
beres, quòd materia culpæ sit sublata.

Æstima te maiorem tuâ voluntate & gau-  
dio ad maiora creatum. Non es creatus ad  
tuam gloriam, non ad tuam voluntatem,  
non ad tuam voluptatem, non ad tuam so-  
lùm salutem, non ad tuam opulentiam, non  
ad tuam fortunam, imò nec ad fruendum so-  
lùm Deo in cælis: maius aliud est tuus finis;  
factus es ad gloriam Dei, propter quam om-  
nia Deus voluit & fecit. O magnum finem!  
quem

quem etiam, dum pateris, consequi potes, siue in laboribus, siue tormentis. Non tuus es, sed Dei; non natus tibi es, sed Deo: sic non debes quærere in omnibus nisi gloriam Dei, & placere illi magis; & quòd in te fiat voluntas sua. Solum illud erit alimentum ignis purgatorij, quidquid hîc sit pabulum voluntatis tuæ. Nihil desideres, siue consolationes spirituales, siue alia dona sancta, nisi quod Deus vult super omnia; qui plura dona & maiorem sanctitatem tibi desiderat, quàm ipse tibi cupis; ita habebis, licet non debeas quærere, continuam consolationem. Omnes afflictiones & pœnæ, quibus in mundo contristantur homines, consistunt in voluntate, quia non fiunt conformes diuinæ. Excruciantur humana corda, aut non habendo quod vellent habere, aut habendo quod non vellent: quare qui non habet ex se velle & nolle, nullam molestiam sentiet. Qui habet cum Deo velle & nolle, perpetuam lætitiã possidebit, quia habebit perpetuò quod vult habere: semper enim fit vt Deus vult, prout ordinauit, aut permisit.

## CAPVT XIII.

*Quòd non oporteat voluntati nostræ  
attendere.*

**N**on satis triumphator sui erit, qui vicerit voluptatem, nisi vicerit voluntatem: non satis est scire in sensus corporis, sed in animam & proprium arbitrium: non solum illicitas voluptates negare nobis debemus, sed licitas voluntates; nec solum mortificare carnem, sed perdere animam, quam denique lucrabimur. Tam caro nostra quam anima aduersus Deum peccarunt. Iniquum est, damnare vnum complicem, & absolueri alterum; ministrum flagitij punire, & auctorem liberare. In carnem & animam oportet animaduertere: non vt plerique, exterioribus asperitatibus contenti, intrinsecus penitentiam non assumunt. Cum principalis rea & delinquens sit anima, præcipue debet coerceri; nec aliter potest nisi in voluntate, si deneges quæcumque ex se postulet & gustet. Digna est morte anima, quæ Deum contempserit: ita debet mori omni voluntati suæ, & in ipso quo deliquit plecti. In nullâ re magnâ vel parvâ sibi prospiciat, & respiciat: alioqui non erit mortua, si ita aperit oculos. In nullâ re voluntatis tuæ recorderis. Fac voluntatem  
Dei,

Dei, fac voluntatem fratris, fac voluntatem iniuriantis & inimici, si sine peccato potes, potius quàm tuam. Non satis mortificatus eris, nisi voluntatem tuam non modò in Deum, sed etiam resignes & transfundas in omnium hominum etiam inimicorum voluntatem.

Illis ad quæ propendet impetu vehementi voluntas tua sine præcedenti rationis regulâ, ne fidas statim, sed suspecta habe, etsi speciem boni obtendant: sunt plerumque officia sensualitatis, quibus latitat dæmonis astus. Gloriam Dei quærat, non contemptum hominis doleat; placitum diuinum, non afflictionem tuam humanam attendat voluntas tua & sentiat: in Deo tota occupetur, & satis negotij habebit: gaudium & gustum tuum etiam spirituales contemnat. Licet à Deo relinquaris in omni pressurâ cordis, derelictione spiritus, & ipsâ potestate tenebrarum, tribulationibus & tentationibus laceffitus vndique debes permanere fidelis, non quærens solatium, paratus sustinere istam & omnem aliam animæ inculpabilem calamitatem, quamdiu Deo placuerit, etiam vsque ad diem Iudicij, vel in æternum. Qui in veritate studet placere Deo, oportet vt seruiat gratis; & potius optat & petit nullâ consolatione alleviari: hoc sibi putans affatim sufficere, si lo-

cum, vbi fedet in animâ Deus, conferuet mundum; non permittens, vt illuc velut in Sancta sanctorum intret & appareat aliud. Solus ingrediatur IESVS summus sacerdos. Nonnulli famuli Dei magnis consolationibus exundantes, precibus impetrarunt destitui & priuari omni dulcedine: nec postea admitterebant solatium etiam de cælo: non enim defuit qui Angelos consolatores recusauit. Nam quid magni facis, si gustum corporalem despicias, qui potius afflictio erit? Nimis affligens est solatium corporis, quod impedit diuinum gaudium & spiritus lætitiâ: plus meretur Deus. Pro Deo etiam contemnas omne iubilum animæ, atque quodcumque arridet naturæ & voluntati propriæ. Non est constans, nec fidele obsequium mercenarij. Si spe aut subsidio consolationis Deo seruias, etiam si sit spiritualis; non propter se amas in hoc Deum, & deficiente consolatione segniùs sæpè torpèbis. Hinc fit quòd mutemur toties, desides simus, tepidi, & parum proficiamus, quia vt nauæ ventum, speramus spiritum deuotionis & consolationis; sine quâ detinemur, & qualibet aduersitate, velut contrario flatu, retrocedimus. Inertiores etiam sumus nauis, qui callent etiam obliquo & aduerso vento progredi. Sciamus ipsis aduersitatibus, tædiis, & tribulationibus



DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. IV. 423  
tionibus procedere. Non refert obsequaris  
Deo propter gaudium interioris consolatio-  
nis, aut corporalis commodi, nisi quòd mi-  
nùs gratis famuleris; quia maiori pretio ob-  
sequia tua vendis, si gustum spiritus requiras.  
Plus est Deus, quàm gustus tuus. Melius est  
habere Deum, quàm gaudium: tamen, vbi-  
nam, ò iucundissima Veritas, ò Deus suauis-  
sime, potes esse, & non exultabit spiritus, si te  
retegis? vbinam aderit benignitas tua, & non  
replebis gaudio animam? Sed concede mihi,  
vt numquã gaudium meum optem, nisi vt tu  
scis meus; numquam voluntatis meæ gustum  
quæram, nisi voluntatis tuæ beneplacitum.

O Spiritus tribulate, si numquam recrea-  
tionem tuam & gaudium quæres, quan-  
tum gauderes! Qui relinquit domum aut a-  
grum propter Deum, centuplũ accipiet. Non  
est ius, vt qui plus reliquit, minus accipiat.  
Qui relinquit voluntatem suam & gustum  
eius, centuplum dulcedinis accipiet negando  
suam voluntatem, plus quàm si fecisset: nam  
facit voluntatem Dei, & maius præmium ca-  
piet. Quantò magis voluntatem & gustum  
tuum abnegares, tantò plus gustares in volun-  
tate diuinã: diuinus quidem sapor & lætitia  
tibi stillaretur. Si vnum hominem tam feli-  
cem Deus fecisset, vt quidquid vellet, statim  
adimpleretur; & tam potentem, vt posset exe-

qui quodcumque libêret illi, & id licitè; & securus certusque esset de hac potentiâ & fortunâ suâ: existimo, minùs gauisurum esse, quàm eum qui in nullo verè vellet impleri voluntatem propriam, sed in omnibus seriò abnegaret propter Deum. Omnem adimplerionem voluntatis sequitur quidam gustus eiusdem voluntatis: nec vllus gustus & delectatio maior, quàm illa quam Deus habet in voluntatis suæ executione. Si Deus infundat tibi guttam delectationis voluntatis suæ, quam communicat cum his qui voluntatem eius solùm faciunt & volunt, sine comparatione plus gaudebis abnegando tuam voluntatem totam, quàm si faceres semper illam. Nam qui impleret voluntatem suam, gaudium voluntatis humanæ solùm haberet: si verò neget, vt voluntatem Dei faciat, gustum diuinæ voluntatis participabit, per gratiam diuinæ bonitatis. Facere voluntatem propriam est ingens hominum gaudium; quid erit facere diuinam? Voluntas humana impura est, locum dat tristitiæ, & corrumpitur mœroribus: voluntas diuina purissima est, in possessione gaudij continua. Idem est Deo voluntas ac voluptas: quare debet voluptatem habere, qui diuinâ voluntatem solùm habet. In Deo nõ distinguitur appetitus à lætitiâ, in creaturis plurimùm distat. In ele-

mentis

mentis aliud est motus ad locum, aliud quies in loco; in cælo idem est: lux & calor in igne duo sunt; in sole & stellis idem: sic voluntas humana & gaudium duo sunt; in Deo vnum. Nec alibi gaudium tutò erit, nisi in adimplentione diuinæ voluntatis, & spoliatione propriæ: tunc habens & volens homo diuinam solùm voluntatem, eius priuilegio gaudet, vt inseparabiliter gaudium habeat; nam cuncta eueniunt pro voto. Non est igitur triste, abominari suam voluntatem, exuere se omni proprietate, & penitus abnegare se. Nulli magis abnegatam & sibi mortuam habent voluntatem, & renuntiarunt omni proprietati suæ, quàm Beati in cælo, qui sine vllò sunt vestigio proprij velle aut nolle: & tamen in tantâ mortificatione propriæ voluntatis summum gustum habent, & lætissimi sunt. Cur tu refugis abnegare te, qui vis saluari in cælo, vbi summa abnegatio sui est? Instrue te ad gloriam, & relinque te. Non putes te posse esse beatum, quin facias ibi, quod nunc putas triste. Eia incipe, quod, si salueris, numquam desiturus es facere. Fac aliquando, quod, si felicissimus fueris, facturus es in æternum. In perpetuâ illâ felicitate numquam quæres voluntatem tuam, per sæcula sæculorum non solùm diuinæ conformis, sed transformatus per ardentem charitatem.

D d 5      Quis

Quis sitibundus, habens vasculum fictile & vacuum, non mallet habere aureum, plenum suauissimâ potione & refrigerio? quis languens, habens morbidum membrum, non mallet habere sanum & robustum? quis hebes, obtusum intellectum habens, non mallet habere mentem Angeli, & intelligere vt Cherubim? O homo, cur non vis commutare tuam voluntatem infelicem, caducam votis, morbidam, stultam, cum voluntate Dei compote, lætâ, felicissimâ? Si velles intelligere vt Angelus, quod non potes; cur non vis velle, vt Deus vult, quod potes? Qui vult semper gaudere, numquam in se, nec sibi quærat gaudium: opus est, vt reuellat omnem priuatum & creatum amorem; alioqui, quocumque fugiat, quodcumque peragat, impedimentum & turbationem secum deportat, imò auget; vt quò longiùs fugiat, & plura peragat, magis impediatur & minus inueniat gaudium quod quærit. Qui à rectâ viâ aberrauit, quò magis incedit, magis errat & distat: quantò magis homo hoc aut illud eligit, vt gaudeat & quiescat, minùs gaudebit; quia eò plus exercet voluntatem propriam, quæ causa est inquietudinis & tristitiæ, & à viâ pacis & gaudij aberrat. Passer in rete incidens, quò plus liberari conatur, magis se illaqueat & ligat.

Deus

Deus tam bonus est, vt superfluat illi bonitas ad maiorem voluntatem, quàm tuam & omnium Seraphinorum: cur tuam vnam humanam voluntatem coarctas, occupans illam te ipso, quasi in dimidio sui posset satisfacere, ac sufficere infinitati diuinæ? Non vacat diligere aliud, nec se, si Deus diligendus est. Accipe, Domine, amorem meum totum; accipe voluntatem totam meam: nec amittam hanc felicem commutationem, vt pro pessimâ voluntate meâ fruar optimâ voluntate tuâ.

## CAPVT XIV.

*Quòd oporteat iugiter meminisse Dei.*

**Q**Vomodo potes, ô ingratus spiritus, aliquando obliuisci Dei, qui semper meminit tui, quasi reliquorû oblitus esset, & tu vnica res sua; qui semper tibi attendit & tua, & in dulci memoriâ scribit, quidquid boni feceris? Magnus fauor putatur, si terrenus Rex meminerit alicuius, aut admittat ad suam præsentiam: & ego non æstimo quòd cælestis Rex numquam obliuiscatur mei, nec absit? Æger solatium sumit, si aliquis inuisat: cur anima ægra & misella non exultat, quòd Deus perpetuò illam videat, & consideret? Si semel Princeps oculos iniiciat beneuolè in famulum,

famulum, lætatur; & ego, Domine, non exulto, quòd numquam oculos tuos auertas à me, nec manus separet, in misericordiâ erga me occupatus & intentus. Properant & currunt homines, vt Regem temporalem in transitu conspiciant; & ego te Regem æternum præsentem, & manentem, non considero. Vt videant monstrum, solliciti sunt homines, & impendunt pretium; & ego gratis non attendo pulchritudinem cæli & terræ, in quam desiderant Angeli aspicere. Regina Saba tot itinera peregrinata est, vt Salomonem semel videret; & ego te Deum tam vicinum, vt in me habites, non specto. Si mancipium mihi ministraret poculum aquæ, respicerem in faciem; & te Dominum Angelorum perpetuò seruientem mihi in cunctis, & pro me implentem omnia benedictione, nolo aspicere, & cesso benedicere. O Domine, qui operaris omnia in omnibus pro me, quomodo pro te non operor modò, sed nec recordor tui? O amantissime Deus, quid aliud cum hoste capitali facerem quàm tecum soleo facere, nolens te respicere obuium mihi, & toties obuium; amorem meum exigentem tot beneficiis & obsequiis?

O quoties mihi Deus ades, & te nolo semper videre! Essentia tua me penetrat, plusquam punctum crystalli penetrat radius solis, plus-

plusquam anima imbibita est in corpore. Præsentia tuæ sapientiæ mihi prospicit & attendit per se, ne quid mihi desit; & si quid boni faciam, vt remuneres: nec hoc confidis dumtaxat Angelis internuntiis, & relationi; sed per te ipsum me totum circumspicis. Potentia tua me sustinet in vlnis, vt nutrix aut mater filium dilectum: & quia hæc officia, esse in me, videre me, sustinere me cum sum, necessaria sunt, & annexa immensæ diuinitati tuæ, voluisti bone IESV, vt præsentiam voluntariam tibi deberem; ac in vno modo quo abesse poteras, & erat necesse abesse, inuenisti modum, vt etiam mihi præsens esses in Corpore tuo sanctissimo, vt corporaliter & spiritualiter adesses mihi. O anima ingrata, cur non referes gratiam tam amantissimo Domino? & si quidem corpore non potes semper assistere huic diuino Sacramento, spiritu saltem & cogitatione ne obliuiscaris tam benefici Domini in te habitantis.

Reuerere, ô anima, te ipsam, & sacrarium mentis tuæ; vbi habitat Deus per gratiam, cuius nunc consors fortasse es, & væ tibi si non es, vbi diuinitas participatur. Materias inanimas, quas Christi Sanguis contingit, veneramus, & meritò: sed cur non etiam spiritus & animæ tuæ partem, vbi Spiritus sanctus diffusus est? Ante aram, vbi est Corpus  
Christi

Christi Domini desideratissimum, nihil indecorum audeamus facere: nec ante te audeas, quia mens tua, ut potes sperare, per gratiam est altare & thronus Dei, ibi residentis maiori cum voluptate quam in sacrariis aureis. Quam compositus & attentus curas esse cum suscipis Corpus Christi; similem modestiam, similem decorem semper serua, cum Deus hospes tuus sit, non intra corpus tuum tantum, sed intra animam. Si cum Christi Corpus hospes est corporis tui, tam decenter te habes; non debes amittere gravitatem, cum Spiritus Dei incola sit spiritus tui, cum Pater & Filius ad te venerunt, & mansionem apud te fecerunt.

Siue palam, siue clam, idem sis: Deus te videt, Deus iuxta est, Deus intra te est, Deus tecum est. Si Christus de caelo veniret ad te visibiliter, cum solus in cubiculo esses, an coram illo immodeste sederes aut iaceres? an potius reuerens, humilis, compositus, contremiscens esses? Ecce Diuinitas tecum est, non minora officia illi sunt debita. Diuinitas praesens est, non vno modo, sed pluribus, te implendo & circumambiendo infinitam suam essentiam, velut oceanus spongiam; te videndo praesentiam suam, te sustentando potentiam suam, te mulcendo, te amplexando, te adoptando in filium gratiam suam. O anima, cur longa vota  
facis,



facis, cum Deum tam propè sit? quid speras gaudia alia, cum Deus adest? solatium vicinum habes tuarum afflictionum, quid tristaris? perfugium & asylum propinquum est tuarum calamitatum, quid times? Amet affectus tuus, amplectatur & osculetur Patrem amantissimum, in cuius gremio sustentaris & foueris: cuius memoriâ & deliciis obliuiscere omnium. Considera te coniunctiorem Deo quàm fratri tuo, quàm matri, quàm patri: cognatio enim & proximitas inter te & Deum, maior est quàm inter filium & parentem. Habe semper præsentem eum, qui tot modis præsens est. Vt speculum id fit, cui præsens fit: sic sancta anima quodammodò diuina fiet, si Deum præsentem habeat.

Hæc præsentia Dei est vitalis actio gratiæ: tamdiu viuit actu & expergefata anima sancta, quamdiu diligit & recordatur Dei, siue cum in consideratione eius occupatur, siue in opere pro gloriâ eius. Quemadmodum enim Deus non tantum præsens est nobis per essentiam suam & cognitionem, sed etiam per potentiam, & operationem: ita optimum genus præsentia Dei est, per operationem bona opera faciendo. Quis non operabitur pro Deo, qui pro nobis omnia in omnibus operatur? Non tamen, si cesset anima, mortua erit peccato; sed perinde erit ac qui dormit,

mit,

432 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
mit, qui non est mortuus, sed vitâ non frui-  
tur: sic anima oblita Dei, licet non mortua  
sit, tamen velut sopita non gaudet fructu spi-  
ritualis vitæ. O quantum viuet, ô quot tem-  
pora implebit memor Dei, quæ passim amit-  
tunt etiam spirituales! Hæc præsentia Dei est  
etiam sensus gratiæ; alioqui velut paralytica  
iacet anima. Paralysis morbus est, non mors,  
sed sensu artus priuat & functione vitæ: otio-  
sa est tunc vita & gratia, cui non est memoria  
Dei, siue in opere, siue oratione.

Vna palma ad præsentiam solùm alterius  
fructificat, & anima ad præsentiam Dei om-  
nes fructus facit. Sine præsentia solis omnia  
sunt obscura, & nihil pulchrum: præsentia  
Dei venustissima & illustrata est anima. Ele-  
menta non possunt ferre absentiam sui cen-  
tri: parem impetum anima in Deum habeat.  
Sicut lapis, si in aëre suspendatur, semper ser-  
uat propensionem ad terram; & cum relin-  
quitur, statim ruit: sic anima amans Dei, et-  
iam cum separatur à quiete suâ ob occurren-  
tia officia vitæ necessaria aut status sui, etiam  
ibi anhelat ad Deum tacito affectu & velut  
connaturali; & statim relicta sibi finitis oc-  
cupationibus confugit ad centrum suum, in  
sele colligens in intimis recessibus cum Deo,  
vt quoad possit similis sit anima Angelis Dei,  
qui semper vident faciem Patris, & in quam  
desi-

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. IV. 433  
desiderant respicere : quo desiderio plus &  
crebrius recreari oportet , quàm respiratio-  
ne cor.

CAPVT XV.

*Quòd amanda sit incomprehensibilis  
bonitas Dei.*

**Q**uid tibi, & mihi, qui sum abyssus ma-  
litiæ, ô Bonitatis pelagus, vt me ames?  
Similis similem amat : quomodo tu optimus  
diligis me pessimū? Ab omnibus pulchriora  
diliguntur : tu pulcherrimus optas à me vilif-  
simo & horribili amari. O amor mundi, quid  
tibi & mihi, qui debeo esse odium & horror  
mundi? Quid est, quòd mihi præcipias te a-  
mare? cur opus erat hoc mandare? quid est,  
quòd roges & sollicites tot artibus? O sollici-  
tatio & vox dulcissima, Fili præbe mihi cor  
tuum! ô petitio surdis hominibus repetita!  
in singulis creaturis temet exhibes, prospici-  
endus passim per naturæ transfennam, hac  
amabilissimâ postulatione liquecens, dum  
requiris me. In omni creaturâ occurris mihi,  
vt per omnes id petas; toties amorem tuum  
erogans, & amorem meum rogans. Quam-  
cumque fenestram aperiã, ades amator,  
stans post parietem, respiciens per fenestras,  
prospiciens per cancellos. Si videam, si au-  
diam,  
E e                      diam,

434 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
diam, si odor, si sapiam; ecce adest facies  
tua decora, vox tua dulcis, & odor Dei mei,  
& fauus cum melle tuo: vbique conue-  
nior de amore. Si quatuor aut quinque viri  
graues affeuerent aliquid & hortarentur ad  
opus aliquod, nemo nõ faceret, aut crederet:  
quomodo non audio omnes creaturas ad-  
hortantes me ad amorem Dei mei? cùm tot  
affeuerent venustatem eius, quare non cre-  
dam? Si specie rerum illecti homines deos  
illas putauerunt; quantò his Dominator om-  
nium speciosior es? speciei enim generator  
hæc omnia constituis.

Omnia amorem tuum & pulchritudinem  
mutis clamoribus, & inuisibilibus coloribus,  
obiectant. Sed quæ vox aut imago, notitiam  
tui dabit? Non possunt creaturæ te pingere:  
ex omni earum perfectione lituram tantum  
cognosco. Quis ergo es, aut vbi, Pulcher mi;  
qui cùm vbique mihi adsis, nullibi te inue-  
nio; & cùm omnia sis, nihil omnium te pu-  
to? Pro imagine tuâ se obiectant mihi crea-  
turæ; sed ego ænigma existimo. Non es, Do-  
mine mi, id quod designant te esse: quæ li-  
cet non mentiantur, taliter te indicant, vt  
non sis id quod prædicant verè. Ita quæsiui  
quem diligit anima mea; quæsiui illum, &  
non inueni. Surgam, & circuibo mundum  
per vicos naturarum & plateas cælorum. In-  
terrogau

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. IV. 435  
terrogavi formas rerum, concentus melodia-  
rum, odores aromatum, sapes mellitorum,  
amplexus charorum; & dixerunt, Non su-  
mus dilectus tuus: ille fulget, vt non capiat  
locus; sonat, vt non ferat ventus; olet, vt non  
spargat flatus; sapit, vt non noceat fames;  
hæret, vt non separet fastidium. Interrogavi  
terram, & respondit, Non sum ego: si cæli  
cælorum non capiunt illum, quid me rogas?  
Interrogavi mare, & contremuit dicens,  
Non sum; maior abyssus est, & pertransiri  
nequit. Interrogavi cælum, & dixit, Non  
sum Deus tuus: ascendit vltra. Si vos non  
estis creaturæ, dicite mihi aliquid de illo.  
Responderunt mihi vigiles mentes, & custo-  
des spiritus mundi, Ipse fecit nos, quære il-  
lum super nos. Paululum cum pertransissem  
eos, inueni quem diligit anima mea, non in-  
ueniens illum in creaturis. In hoc solo video  
& inuenio te, ô lumen in medio positum,  
quod non possum te inuenire nec videre:  
nam quomodo assequar quod incomprehen-  
sibile est? Fuge, fuge Dilecte mi: in hoc te  
consequar, quia fugis me: plus nosco de te,  
quantum noui non te posse noscere; plus ac-  
cedo ad tui notitiam, quantum recedis à  
meo captu. In lectulo, & quiete anguli mei,  
per noctes quæsiui quem diligit anima mea.  
Nox est, respectu tui, splendor rerum ve-

Ee 2                      nusta-

nustarum : nox est decor cælorum ; nox est ipsa solis pulchritudo , claritas , & quæuis alia , non dicam creata , sed falsò excogitata venustas. Si singulæ stellæ fulgerent plusquam sol , quot atomi illuminantur à sole , & arenæ sunt maris , & ipse sol toties excederet stellas plusquam modò , sorderet præ te , nec appareret , velut sidera nunc in præsentia solis non videntur.

Sed quid affero deformes has pulchritudines visibilium , & rusticas formas etiam solis , & æthiopes luces ? Conferamus illas spirituales & candidas , cuius talis est decor , vt cum deuotissimo Patri Ioanni Fernandio nostræ Societatis affuisset Angelus Dei ; eum intuitus præ lætitiâ , deficiebat , & se ipsum capere non potuit ; atque affirmavit quæcumque pulchra in mundo essent , huius comparatione deformia & tetra fore. Finge igitur pulchritudinem eius Angeli toties maiorem , quot atomi in aëre , & singulos Angelos eadem pulchritudine præditos ; & cum sint millia millium , seu pænè non sit numerus illorum , totam hanc pulchritudinem omnium conglomera in vnum solum : turpis & obscura esset coram pulchritudine Dei ; nec dico videretur vnus atomus , sed nihil. O cor meum , quomodo non te euellis post tantum decorem , & ardes ad immensam il-

lam

lam lucem? O duritia & grauitas cordis mei plus quàm ferrei, si non te eleuat & trahit immensus hic magnes amoris!

Sed forténe tu Domine es illa claritas, & decus quod confingo, ad quod tanta infinities illuminati solis & Angeli lux tenebræ essent? Minimè; sed infinities pulcher: nec post tantam lucem te video, licet splendidissimus sis. Tantùm scio illam claritatem te non esse, quia caligo ad te collata esset: qualis autem sis, ignoro; tuum lumen me excæcat: dum magis fulget, relinquit me caligantem. Sed numquam te video clariùs, quàm in hac caligine; nec nisi in hac nocte meridionali vniquam inuenio diem verum, antiquum dierum; clarum mihi, quia in totâ obscuritate, & mediâ nocte. O amor æterne, accipe iam cor & amorem meum. Sed quid inquam accipe, si tu rapuisti: quid iubes, vt cor meum tibi præbeam, si iam excordasti me; non in vno crine aut oculo tuo, sed in nullo lumine meo, & multo crimine. Excordasti me, quia tantus es, vt te non videam: excordasti me, quia cum te pusillus offendissem, vis à me quantus es amari. Sed tu Domine, qui vulnerasti cor meum bonitate tuâ, eâdem infundes oleum misericordix tuæ, vt sanes vulnera peccatorum meorum.

E e 3 O

O Deus abscondite, si ignoratus places mihi supra omnia quæ scio, quid facies cum te coram & palam sciam? eripe, euelle cor meum, accipe omne velle meum, nec mihi vnumquam restituas; nec permittas cultrum in manu amentis, sed retine cor amantis. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Gaudeo quòd defecit mihi cor meum, quia tu eripuisti illud. In te sit cor meum, quia in te thesaurus meus. O Deus cordis mei, quia iam es Dominus illius! Sed quia tu meus, quamuis defecit cor meum, non defecit cor melius: tu supplebis eius vires; tu es Deus cor meum, Deus pars mea, quæ defecit mihi. Cor scilicet meum eris in æternum: officia cordis mei imple. Ipse poteris velle pro me, & sollicitus esse, quæ mihi expediant; ego tantum diligam te. Tu amabis me pro me, ut ego penitus amem te; ut nec amor mei impediatur. O felix iactura cordis, si Deus pro corde est!

## CAPVT XVI.

*De superessentiali lumine sanctissimæ  
Trinitatis.*

**O**Lux clarissima diuinæ vnitatis, si tanta es, ut umbrâ tuâ in creaturis lucens præstringas omnem intellectum, & caligare facias



facias plus quàm sol oculos noctuæ; quantum lumen apud te erit in Trinitate tuâ, cuius umbram natura creata non potuit sustinere, sed oportuit reuelari à IESU? Si tantoperè radios apud nos; quantum in te lucebunt illi splendorès sanctitatis, qui extra te non exeunt? Si tantoperè vnitatis umbra lucet, quantum lucebit lux Trinitatis, quæ non habet umbram? O luminosissimæ tenebræ, cum animæ communicatur aliqua claritas tanti arcani! Obscuritas est illa lux, quia anima non se videt, & ibi se amittit. Velut qui in tenebris ambulat, & nescit vbi sit; sic mens in illo lumine de se nescit: & cum in illâ luce se lucretur, cum sit in Deo; ibi se perdit, quia inuenit Deum, quando abrepta ab omni occupatione inferiorum, & facta conformis Christo crucifixo per constantissimam mortificationem & crucifixionem suæ voluntatis, in stupenda Trinitatis arcana intentam aciem & humilem mentem figit, seu potius figitur: ibi vitam in legitimâ suâ puritate, vt in fonte gustat: ibi bonitatis diuinæ primitias libat: ibi simplicissimæ simplicitatis naturam concordis cum Trinitate miratur.

Quidquid admirabile est, cum cognoscimus, iucundum est spectare. Quid admirabilius, ac proinde quid iucundius, quàm nosse illam simplicissimam vnitatem, in quam per-

440 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
sonarum Trinitas se immergit ; & illam Tri-  
nitate , quam non summergit vnitissima  
simplicitas ? Vnitas in Trinitate distinctè co-  
ruscat ; Trinitas , quatenus fertur introrsus , lu-  
cet in vnitatem . Pater est Filij origo : Filius ma-  
nat è Patre secundum distinctionem perso-  
næ , & manet in Patre secundum essentiæ  
vnitatem : à Patre & Filio Spiritus sanctus  
procedit , & in Patre & Filio Spiritus sancti  
substantia relinquitur : vbi Trinitas non ob-  
est vnitati , vbi vnitas non officit Trinitati :  
imò vbi Trinitas proficit vnitati , & vnitas fa-  
uet Trinitati . Ideò Deus est magis vnus , quia  
trinus simul est .

Quid tam iucundum , quàm hæc quæ vi-  
dentur repugnantia , videre se adiuuantia ?  
Non esset simplicitas summa in Deo , si non  
esset efficacitas summa : non esset efficacitas  
summa , si non esset Trinitas personarum :  
non esset Trinitas personarum , si non esset  
vnitas essentiæ . Tam abest , vt simplicitas di-  
uina obsit Trinitati , vt Trinitas iuuet vnita-  
tem , & vnitas vnitissima requirat Trinita-  
tem . Ideò , quò Deus est magis simplex in  
naturâ , est magis trinus in personis : & quem-  
admodum non potest concipi maior simpli-  
citas , quàm simplicitas naturæ diuinæ ; non  
potest esse verior distinctio , quàm distinctio  
personarum in illâ vnitatem . Res quò simpli-  
ciores

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. IV. 441  
ciores & puriores sunt, efficaciore sunt, vt  
Philosophi fatentur. Ignis quia simplicior &  
purior, inter omnia elementa efficacior est;  
& cæli quàm sublunares naturæ, & spiritus  
quàm corpora. Virtus vnita maior est: &  
quod simplicius est, plus habet de formâ,  
quæ actus & actiuitas est: quare in simplici-  
tate infinita, quæ purissimus actus est, & for-  
ma simplicissima formarum, remotissima  
ab omni materiâ, infinita efficacia debet  
esse infinitæ personæ productione, infinitæ  
substantiæ communicatione ab æterno. Stupet  
anima hanc simplicitatem contemplan-  
& extra se raptâ diuinam simplicitatis per-  
fectionem adorat in æqualitate & æternitate  
personarum: nam quod res sunt simpliciores,  
quemadmodum sunt efficaciore, sic in se  
perfectiores. Perfectio non sumitur à mate-  
riâ, sed à formâ: quare quantò aliquid plus  
habet de formâ, perfectius est; & cum sim-  
pliciora plus habeant de formâ, perfectiora  
sunt: idè Angeli perfectiores sunt rebus sen-  
sibilibus. Cum igitur summa simplicitas, sit  
summa, sola, & tota forma, seu actus, per-  
fectissima est: quare Filius Dei æqualis &  
coæternus est Patri ob summam simplicita-  
tem naturæ diuinæ. Inter homines, maior  
est pater quàm filius, quia ad hoc vt creatu-  
ra generet, requiritur, vt perueniat ad statum

Ee 5 per-

perfectum : sed cùm Deus ab æterno sit summè simplex, est ab æterno perfectus, idè ab æterno generans, & non est maior Pater Filio. Inter homines nullus nascitur pater: Deus ab æterno est Pater, nec prius fuit Deus quàm Pater. Inter homines magnum quid est, in lineamentis & superficie oris similem produci filium patri, & filius similior magis diligitur: quanta fecunditas est, ubi non in accidentibus producitur similis filius, sed in substantiâ idem? quanta dilectio, ubi Filius tam similis est Patri, vt nec ipse Pater similior sibi sit, nec magis idem, & post tantam similitudinem Filius sit vnicus, & ab vnico genitus purissimè; ubi Pater virgo est, & virgo generat, & natus non est infans, & sine matre editur? Quare Filius non minuit diuinum amorem cum matre, quæ non est; nec Pater cum sponsâ. Sed Pater vnice vnicum Filium, & Filius vnice vnicum Parentem amat. Vbi Filius, non ex particulâ Patris genitus est, sed ex totâ substantiâ paternâ: & totum quod conspicit in Filio Pater, suum est, & à se est; & totum quod videt Filius in Patre, noscit sibi communicasse sine inuidiâ. Quomodo possunt non se summè diligere, qui tam summè vnum sunt? Hæc & alia, perspicaci & indicibili modo, dum per altissimum silentium intonantur animæ, & in arcanâ

canâ

canâ caligine illucescunt; quomodo non ardebit, cum tantâ luce, & omnibus viribus suis, superessentialem & superexcellentem simplicitatis & Trinitatis perfectionem diliget, prouocans omnes spiritus & Seraphim in illo fumo replente domum ex incendio charitatis ardentis, & clamans, Sanctus, Sanctus, Sanctus, expansis alis cordis subuolans & refrigerans partim æstum amoris, partim excitans flammam?

Ibi tamen præcipuè quasi exanimis manet, tota delibuta dilectione diuinâ, cum considerat pelagus illud bonitatis, quâ communicatur infinita natura Filio, & incendium illud amoris quo procedit Spiritus sanctus. Hic deficit spiritus creatus, & præ dilectione quasi perit in se, velut aquâ & igni extinctus: summergeitur in oceano tantæ bonitatis, ardet in pyrâ stupendi illius amoris. Nihil efficacius est in se, vt nos conuincat & trahat ad amandum legitimè & purè Deum, quàm bonitas illa inexcogitabilis quâ se communicat Pater Filio, & vterque Spiritui sancto. Nihil deuotius, nihil tenerius, nihil suauius considerari potest, quàm illa eruptio, & excessus bonitatis in æternis emanationibus. Nihil alacrius & festiuus & solemnius animæ, quàm natiuitas æterni Verbi. Nam si bonitas in se est, quæ placet, & præda amoris legitimi,

legitimi,

444 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
legitimi, & in quam ruit toto pondere voluntas: vbi potest maior bonitas lucere, quàm cum pro boni naturâ, quod est diffusiuum sui, non partem sed totam se diffundit, & communicat, infinitudo bonitatis; vbi non tantum datur quod habetur, sed quod est? Mirabilior apparet hæc liberalitas communicationis, quàm quæuis infinita alia perfectio diuinæ naturæ. Si aliquis homo haberet aliquam peregrinam & admirandam gemmam, aut aliam rem pretiosissimam, quâ felix haberetur, & nihil aliud haberet; certè licet mirabilis tibi videretur ille vnio, mirabilius iudicares, si statim illum gratis largiretur, sine vllâ spe lucri. Mirabile quidem est diuina natura; sed mirabilius videbitur alicui, donari gratis Filio per communicationem illam admirandam; & mirabilius donari tali modo, quod maneat etiam in donante. Tum si argumentum bonitatis est amor; nam diffusio & communicatio sine amore non est; vbi maior amor, quàm vbi totum quod est, est amor? & amor est æqualis amanti, & amato; & tantus est amor, vt non solum sint similes amati, sed sint idem inter se, & idem amor sit vtriusque? Vnde necessaria est summa fidelitas & gaudium, quia non possunt non diligere, nec possunt non diligi æqualiter. Adeò efficax & legitimus est ille amor, vt si per æternam  
nam

nam generationem non fuissent eadem vna natura Pater & Filius, faceret Spiritus sanctus esse idem. Huc tendit charitas, hoc officium est amoris, vnire amantes & amatos: & cum ille amor sit Dei infinite perfectissimus erga illum qui etiam est Deus, intentissimus & omnino efficacissimus est. At si non faceret vnum, non plene perfectus esset, sed velut amor rei finitæ, & erga rem finitam, non erga infinitum Vnigenitum æqualem Patri infinito; vbi vterque, amans & amatus, infinitus est. Vbi est tam excellens & genuinus amor, quanta bonitas erit? Ita Trinitas est præstantius indicium infinitæ bonitatis, & proinde diuinæ perfectionis, (quia id est bonum, quod perfectum) & denique simplicitatis Dei: quare Trinitas personarum, est authenticum testimonium diuinæ vnitatis. Quantoperè arridet mens, cum hæc noscit! non prout explicui ignoranter, aut explicari potest; nam solum sentitur modo inenarrabili: sicut enim non sunt naturales species, quibus cognoscitur; sic nec verba, quibus manifestari queat aliquid quod de verbo æterno manifestatur piis aliquibus animabus. Ad eò igitur gaudet mens creaturæ, cum communicatur illi consensus & mutua conuenientia increatæ Trinitatis & vnitatis, & vtriusque necessitas ad perfectionem diuinam,

nam,

nam, vt exultet anima toto corde, impotens sui, & exhausta præ desideriis & suspiriis puræ charitatis, & videndi clariùs in alterâ vitâ admirandam Trinitatis bonitatem.

Quid cupis anima mea videre aliud, nisi istud spectaculum mundi, ad quod videndum dumtaxat introducti sunt in cælum & creati Seraphim & omnes spirituum ordines atque hominum sanctorum. Vbi est curiositas nostra? vbi studium sciendi, si non cupis dissolui, & intueri istud arcanum, & scire hoc secretum? Sed curiositas te debet remittere ad alteram vitam, non ad scrutandum in istâ rationem, quo pacto trinus & vnus est. Non debes quærere causam, quomodo ita fit; cum non possis dare causam, ex quâ fit. Frustrâ causam quæris in eo, qui nullam habet causam. Non esset magnus Deus, si non esset maior captu nostro. Non debes scrutari, quo modo ita potest esse, qui numquam potuit esse antequam esset. Vermiculorum plurium naturam non satis cognouerunt Philosophi, & nemo seipsum benè noscit: quomodo naturam diuinam & auctorem tui vis dignoscere per omnia? Quare simplici fide debes captiuare rationem tuam in super-rationali hoc mysterio: nam illa claritas, quam insinuare interdum dignatur indulgentia diuina, non est omnium, sed quorum  
Deus



Deus vult, ex iis qui cum Filio suo sunt in Caluariæ monte, & omnimodâ sui eieratione: qui abnegantes se sustulerunt crucem suam, & secuti sunt IESVM vsque ad Caluariam, & deinde vult vt sequantur vsque ad Oliuetum & gloriam; hos exaltat, vt quandoque participant Maiestatem suam. Vbi ego sum, dicit IESVS, ibi & minister meus erit. Qui habuerit cum Christo idem Vbi passionis, habebit quoque Vbi tanti luminis & gaudij. Sic sancto Patriarchæ nostro Ignatio, dum magis afflictus fuit & exhaustus pœnitentiis, copiosius manifestatum est & clariùs, quàm dici potest. Sic feruentissimus Pater Didacus Martinius ferè semper se videbat circumfusum quadam luce splendidissimâ Trinitatis, aut alicuius ex tribus Personis. Omnium tamen est, ardentissimis desideriis exoptare, videre hanc nouitatem antiquam & æternam in alterâ vitâ. Sancto viro Patri Ioanni Ferdinandio reuelatum est, quemdam nostræ Societatis Religiosum diu detineri in purgatorio, quia non desiderauerat ardentè videre sanctissimam Trinitatem. O anima, quomodo non plus desideras videre hoc theatrum Beatorum, ad quod conspicendum conuocatae sunt omnes mentes, inuitatae sunt cunctæ rationales naturæ?

Quantum gaudium erit, videre quod  
nunc

nunc cogitando, seu ignorando, præ iubilo & amore sustinere nos non possumus? Quomodo non exultabimus, contemplantes illas primitias diuinæ perfectionis, illud prolium & recens facinus bonitatis diuinæ, cum se dat Filio, & primogenitam illam liberalitatem Dei? Quantum pignus sibi accipiet anima diuinæ benignitatis, cum videat infinitam benevolentiam indolem? Si sine deliberatione dedit Deus totum quod est, nonne cum consilio & suffragio eiusdem bonitatis dabit, ut saltem videamus quod est? & si quidem non dat esse, dabit suspicere; si non dat possidere, dabit frui; si non dat viuere eadem vitam, dabit viuere simili vitam æternam, cuius pignus iam habet anima, videns generationem ubi non est mors. Quomodo non amabimus totam mentem & viribus Deum, considerantes illam auroram charitatis ardentis, cum illibatus & primus ros donorum suorum quem dat, sit ipsum incendium charitatis, ipse amor in eadem substantiam, ut tantus sit amor quantus est Deus, & in eadem donatione amoris det essentiam suam infinitam? Nam primum donum est amor ipse, & totum illud infinitum esse quicquid est Dei. Quas arthas benevolentiam ex hoc sumet anima, cognoscens tam auspiciato quasi initiari benevolentiam Dei, & tam felix exordium bonitatis

tis

tis diuinæ? vt gaudeat etiam amari eximio illo amore, seque accendat ad amadum illum, & imitandum tantam bonitatem, dando se ipsam Deo, nihil sibi relinquendo; cum nihil sibi relinquat suæ substantiæ Pater, quod non communicet Filio, & vterque Spiritui sancto. In excessu huius considerationis, & consideratione huius excessus, per luculentam caliginem fit ineffabilis animæ & Dei communicatio, & vnio intima. Anima transit in Deum per gratiam & amorem: quæ licet maneat in se naturâ suâ, non manet affectu, & Deus transit in animam per indulgentiam & charitatem, quamuis maneat in se Maiestas sua.

O summa Patris bonitas, summa Verbi sapientia, summa Spiritus sancti suauitas, concede, vt te vnum Deum reuerear, trinum colam, bonum admirer, amantem imiter, superexcellenti humiliter, viso fruar, adhærens tibi per æternitatem, factus vnus spiritus tecum, & interim adorans tuam Maiestatem. In spiritu & veritate desiderem veritatem, spiritum, & superuerissimam, superspiritualissimam, superessentialemque tuæ Trinitatis & vnitatis excellentiam palam intueri.

F I N I S.

Ff

IN-